dist. 42. disp. unica, propos. 7. Sed ab utroque recedendum est. Qua nil confert, sive catechismus solus, sive una cum baptismo conjungatur. Quippe *textus num. 2. allegati* non distinguunt, id tamen libenter fateor cum *Palacios 4. dist. 42. disp. un. col. 31. & 32 fol. 928. & seq.* quoties esset idem patrinus in catechismo, & Baptismo, unicam pallulare cognationem. Superflua enim esset alia. At ubi diversi essent patrini, uterque suam cognationem contraheret.

9 Nec desunt etiam qui dicant forsan desiderari subsequi Baptismum, quo hæc cognatio ex catechismo suboriatur: ac proinde quando catechismus absque Baptismo est, quia catechizatus retrocedit, aut antea vita defungitur, eam minime oriri. Ita *Palacios 4. dist. 42. disp. unica, col. 30. & 31. fol. 928. & seq.* At non video hujus fundamentum. Res enim hæc non pendet ex futuro eventu: sed tempore facti catechismi contrahitur hæc imperfecta cognatio spiritualis, ut probavimus num. secundo, & duplici sequenti: ac proinde sive subsequatur, sive non Baptismus, cognatio ea semel contracta minime abolebitur. Nec inconveniens est hanc imperfectam cognationem spiritualem in infideli reperiri.

10 Potissima autem difficultas in hac disputatione pertractanda est, an hoc catechismi impedimentum sublatum sit prorsus per *Trident. sess. 24. de matrim. cap. 2.* Qua in re constat saltem restrictam esse cognationem ex illo ortam, ad gradum primum; ad quem eo decreto Tridentini contracta est in baptismo orta cognatio. Qua ratio enim nulla in eo mentio fiat catechismi, at cum baptismi cognatio mensura sit ejus quæ ex catechismo oritur, & ex illa gradus in hæ sumantur (ut diximus num. 6.) satis est cognationem baptismi restrictam esse, ut eodem quoque pacto censeatur catechismi cognatio restricta. Quando enim duo sic se habent, ut alterum sit mensura, & alterum res mensa, lex corrigens, vel limitans mensuram, censetur pariter corrigere & limitare rem mensam, si eadem ratio in utrique limitat. Ut aliis similibus adductis probant *Dominicus cap. 1. n. 9. Fallentia 5. de tempor. ordin. in 6. & ibi Franciscus n. 8. limit. 2.* & reperitur hic eadem ratio suo modo. Nam licet non sit identitas in utraque cognatione, quantum ad rationem dirimendi matrimonium: est tamen quantum ad impediendum (atque hæc sufficit ad dispositionis identitatem. Et confir. quia hac ratione *Glossa communiter recepta, cap. Non debet, vers. in secundo, & tertiis ad fin. de consang. & affin.* docet per eam textum sublata esse quædam genera publicæ honestatis, quod sublata sint similia affinitatis. Quoties enim duplex vitium ex una radice nascitur, una lege tollitur, *l. ult. fin. C. de nuptiis, l. Duobus 8. Colonus, ff. de jurejur.* Et ideo hujus sent. sunt *Navar. Sum lat. c. 22. nu. 72. vers. ad quæst. autem: Hisp. cap. 28. addit. ad eumdem nu. Major. lib. 3. de irregul. c. 23. nu. 14. 8. Catechismus, Palacios dist. 42. disp. un. col. 29. fol. 927. Ugolinus de matrim. c. 20. nu. 5. Pibliar. de offic. sacerd. to. 2. p. 2. l. 2. c. 4. Bart. a Ledes. de matrim. dub. 46. fin. in 2. edit. Enrig. lib. 2. de baptismo, cap. 15. fin. Petr. de Ledes. de matr. q. 56. art. 3. 8. In hujus expositionem. Lud. Lop. 2. part. instruct. de matrim. cap. 46. impedim. 4. Vivald. candelab. 1. part. de matrimon. num. 91. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 226. nu. 1. fine, Vega 1. to. sum. c. 33 cas. 39. ad fin.*

11 Difficultas autem eo pertinet, an id catechismi impedimentum sit omnino sublatum? Duplex est sent. I. ait adhuc manere. Ducitur, quippe intentio legis ex præfatione colligatur, per illamque tollatur incertitudo legis, ac manifestetur ejus dispositio, ut multis relatis probat *Tiraquel. tract. Cessante causa, limit. 1. num. 65.* Quod si præfationem decreti *Trident. sess. 24. de matrim. cap. 2.* attendamus, manifeste solam cognationem dirimentem matrimonium restringere voluit, ut constat ex iis verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in cujus prohibitis contrahi matrimonia, ignoranter: in quibus vel non sint magno peccato perseverantur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Quæ rationes præfationis nullatenus habent locum in cognatione spirituali solum impedienti, qualis est catechismi. Cum enim matrim. validum sit, nec id dirimere oportet, nec in eo cum peccato perseveratur. Et confirmatur, quia in nullo ex capitibus sequentibus restringit Concilium, impedimentum aliquod ex solum impedientibus: sed tantum affinitatis, & publicæ honestatis: quæ dirimentia sunt. 2. quia decretum hoc est juris communis correctorium: ac proinde cum expresse non auferat hanc cognationem, ad illam extendi non debet, sed tanquam casus omissus relinqui debet juris communis dispositioni *l. Commodissime, ff. de liberis, & posth.* Ita supponere videntur *Navar. Majolus, Vivaldus, Manuel, Vega, num. præced. allegati,* dum dicunt eam cognationem per Tridentinum restrictam esse, nec ulterius dicunt esse prorsus ablatam, quasi non esse supponentes. Ejusdem sent. videntur etiam esse alii, qui post Tridentinum scribentes docent esse impedimentum. Sic *Anton. Cucus lib. 5. Instit. majorum, t. 12. n. 17. Lancel. inst. juris canonici, lib. 2. tit. de triplici cognatione, §. Per catechismum, vers. Dissolvitur, Angles florib. 1. par. de matrim. quæst. 11. de impedimento ordinis, art. 2. in princ. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. rubr. gl. 1. n. 148. Toledo lib. 7. sum. cap. 14. fin. Lud. Lop. 2. part. instr. de matrim. cap. 46. impedim. 4. & c. 51. col. 3. initio, Vega 2. to. sum. c. 5. cas. 3.* Et tenent in terminis propriis *Palacios 4. dist. 42. disp. unica, col. 29. & 30. fol. 927. Barth. a Ledes. de matrim. dub. 46. in priori edit.* Et est valde probabilis.

Verior tamen sent. habet id impedimentum catechismi esse omnino sublatum per dict. Tridentini decretum. Quod numeratis in eo decreto personis inter quas contrahitur cognatio spiritualis; *per Baptismum vel confirmationem, & jure antiquo circa hoc correcto, sic concludatur: Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Et si dicas intelligi de cognatione spirituali contracta per Baptismum vel Confirmationem obstat principium illius capitis, ubi dicit Concilium, se velle multitudinem prohibitionum restringere, ut incommoda vitentur, & statim subjungit: *Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere; & a cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit.* Ubi generaliter de cognatione spirituali loquitur: & statim statuit inter quas personas contrahatur; ac in fine concludit inter nullas alias personas contrahi. Vere igitur intendit cognationis spiritualis impedimentum omnino auferre, præter casus ibi expressos, inter quos catechismus non numeratur. Et confir. quia S. Pius V. motu proprio edito anno 1565. 4. Kalendas Decembris, declarans prædictum Tridentini decretum, ait non esse recedendum a præcisis illis verbis. Cum ergo Concilium generaliter dicat inter nullas alias personas contrahi eam cognationem, quam ibi expressas, censendum est cognationem catechismi, cujus ibi mentio minime fit, omnino sublatam esse. Tandem, quia cognatio hæc catechismi primam originem trahit a Baptismo: ideo enim contrahitur, quod sit initium quoddam & dispositio ad Baptismum (ut nu. 2. diximus.) Quare sublata cognatione Baptismi, tollitur, licet catechismi non fiat mentio. Quod etiam num. 10. probavimus, eo quod cognatio Baptismi sit illius mensura. Cum igitur Tridentinum omnino abstulerit cognationem Baptismi, præterquam inter tenentes in ipso Baptismo, censebitur ablata cognatio tenentium in catechismo solo: quæ, si primam originem attendamus, a Baptismo procedit. Et ideo hujus sent. sunt *Veracruz 1. part. specul. art. 22. fin. & art. 55. fin. Ovand. 4. d. 42. disp. un. propos. 8. Enriq. lib. 2. de baptismo, c. 15. n. 4. & c. 18. n. 2. fin. & lib. 12. de matrim. c. 2. n. 1. Emman. Sa sum. verb. matrim. ubi de impedimentis non dirimentibus, num. 4. Barth. a Ledes. dub. 46. de matrim. fine, in posteriori edit. Petr. de Ledes. sum. Sacramentor. cap. 13. de Baptis. dub. 2. post 5. concl. & in suo tract. de matrimon. q. 56. art. 3. §. In hujus expositi.* & est modo communis.

Hinc deducitur expedire, ut Parochus describat in libro (quem habere debet ad describendum nomina patrinorum Baptismi, juxta *Trid. sess. 24. de matrim. cap. 2.*) an sint illi patrini in solo catechismo: quod piaet sit jam domi baptizatus. Ita *Navar. Lud. Lop. n. 11. relati, Petr. de Ledes. utraque loca relata nu. præced.* Et quamvis hi non explicant an Parochus ad hoc teneatur, at existimo eum teneri. Quia Tridentinum, patrinorum nomina describi jubet, quo sciatur qui cognationem spiritualem contrahant, ne matrimonia inique contrahantur. At latissima est differentia, num in Baptismo tenuerint, an in solo catechismo. Quod priori casu impedimentum dirimens: posteriori autem ad summum impediens: & juxta veriorem sent. est nullum impedimentum, unde non fideliter id describeret Parochus, nisi annotaret solius catechismi eos patrinos fuisse. Defraudaret enim Concilii intentionem, ansamque præberet dissolvendi matrimonia valide cum eo solo impedimento inita: (cujus ego testis fum oculatus, in casu Granatæ, contingenti:) & tandem injurius foret ipsimet patrinis.

Ad argum. num. 11. proposita respondetur ex dictis n. 12. 14 Nam in proœmio de prohibitionum multitudine, non distinguens de dirimentibus, an solum impedientibus, loquitur Tridentinum. Deinde in fine clare omnem aliam cognationem excludit, ut num. 12. ostendimus. Nec refert in seqq. minime feciſſe mentionem impedimenti alicujus solum impedientis. Quia fateor nullum aliud tale restrinxisse: id tamen non concludit hoc non restrictum esse.

DISPUTATIO XI.

Qualiter votum simplex matrimonio ineundo obstet, nec id dirimat?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputentur, num. 1.
Proponuntur argum. suadentia matrimonium dirimi per votum simplex, 2.
Referuntur alia probantia aliquando nec impediri, 3.
Votum simplex castitatis impedit, & non dirimit matrimonium, 4.
Id votum emissum in Soc. Jesu dirimit, 5.
Nec dirimit votum religionis, non ineundi matrim. assumendi ordinis sacri: & juramentum earumdem rerum, sed tantum impediunt, 6.
Quid si hæc vota sint conditionalia, vel pro tempore implenda, quod nondum advenit: ut post obitum matris? 7.
An his votis astrictio liceat matrimonium inire animo transeundi ante consummationem ad religionem: saltem si juravit sponsalia vel post illa emiserit: vel post votum acciderit defloratio vel infamatio feminæ. Et qualiter post hæc vota, ante vel post matrim. emissa de consensu communi, vel alterius conjugis, aut absque ullo interdicatur usus matr. & quis dispenset. Remissive? 8.
An venereis tentationibus vexato, & passim succumbenti, liceat post hæc vota matrim. inire? Explicaturque ea regula, Votum non obligat, quando eo emisso supervenit aliquid, quod minus bonum, & contra consilium reddit illius materiam. Et an valeat votum castitatis emissum ab eo, cui matr. esset sub consilio ob frequentes lapsus carnis, 9.
An valeat matrim. dum uterque conjux voto castitatis astrictus erat? 10.
An peccet iniens matr. cum habente castitatis votum? 11.
Qualiter respondere liceat astricto castitatis voto, roganti an valide posit matrimonio copulari: & similiter aliis votis id impedientibus ligato? 12.
Dissolvuntur argumenta, 13.
An liceat consulere minus malum, gratia majoris vitandi? Refertur quædam sent. 14.
Auctoris sententia proponitur, n. 15.
An liceat etiam ad id minus malum inducere? 16.
An liceat etiam ad id minus damnum teneatur restituere? 17.
An inducens ad id minus damnum teneatur restituere? 18.
An liceat opem ferre inferenti id minus damnum? 18.
An liceat afferre materiam illius minoris mali perpetrandi: ac complicem, cum quo id admittendum est, ut consentiat inducere? 19.
An oporteat ut is, cui minus malum consulitur, sit ad utrumque determinatus? n. 20.
Quid, si ad majus malum non sit omnino determinatus, sed malo habitu affectus passim in illud labatur? 21.
An oporteat sic consulentem exprimere conditionem: Si majus malum perpetraturus est? 22.
An parentibus, judicibus, & confessariis liceat minus malum consulere, ad vitandum majus? Et an hi sui alii possent alia via utrumque damnum impedire, teneantur restituere minus consulentes? 23.
An liceat consulere minus damnum unius, ad vitandum majus alterius? 24.
An volenti mea bona eripere, liceat ad illa tuenda consulere, ut alterius rapiat? 25.
An liceat malum consulere, ut æquale vitetur? 26.
An liceat cuiquam minus peccatum, etiam veniale patrare, ut gravissimum in seipso vel in alio caveat? 27.
Qualiter a culpa vindicetur factum Lotho offerentis filias Sodomitis, ut a peccato nefando eos averteret? 28.
An habenti votum castitatis, vel alia matrimon. obstantia, liceat suadere, ut uxorem ducat, quando passim in venerea labitur, 29.
Satisfit argumentis, 30.

1 Disputatio præsens duplicem petit difficultatem enucleandam? Prior est, qualiter votum simplex matrimonio ineundo obstet? Posterior qualiter id votum habenti licite consulatur, si passim succumbat tentationibus, ut potius matrimonium contrahat.

2 Quæstio prior. An votum simplex castitatis impediat matrimon. idque dirimat? Et quidem id dirimere, videntur suadere sequentia. Quia votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, *cap. Rursus, qui clerici, vel vovent.* Hoc autem dirimit. Et confirm. quod utrumque votum sit ejusdem speciei. 2. Quia cum nemo ad rem illicitam possit obligari, quæcumque talis obligatio irrita est apud Deum. Cujusmodi est obligatio per matrimonii contractum inducta post simplex castitatis votum. Tandem, quod id vinculi fortioris est proprium, ut debilius dissolvat. At votum simplex, utpote obligatio cum Deo contracta, exuperat matrim. quippe quod contractus cum homine initus est; dissolvet ergo matrim.

3 Ex altera parte, videtur aliquando non impedire matrim. nempe, quando votum castitatis cedit in spirituale detrimentum voventis, qui consultius ageret matrimon. ineundo; utpote qui venereis tentationibus exagitatus, passim succumbit, atque præ nimia carnis fragilitate continere nequit. Si eæ carnis molestiæ ac frequens ruina votum antecedant, videtur id votum irritum, quod ejus materia non sit illi satis idonea & justa, imo potius contra id consilium Pauli 1. Corinth. 7. *Quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri.* Si vero voto jam emisso subsequantur: obstat obligationi ejus voti, communis illa regula Doctorum, & nominatim *Cajet. summ. verb. Votum*, nimirum, quando ei qui vovit constat aliquid esse melius præterita voti materia, posse propria auctoritate a voto recedere, & in illam materiam commutare. Insuper obstat, reddi materiam ineptam voti, & ingratam Deo, quoties id supervenit, quod præcedens efficeret, ut non esset materia apta voti. At in hoc eventu, cum melius sit, & consultius illi matrim. non est apta voti materia, nec grata Deo castitas, sed contra consilium; ergo difficultas hæc superveniens, aut votum illud omnino reddet irritum: aut saltem licebit illud habenti, commutare propria auctoritate in matrimonium, tanquam in melius.

4 Prima tamen conclusio certissima sit. Votum simplex castitatis impedit matrim. licite iniri, non tamen dirimit, habetur *cap. Consuluit, & c. Rursus, qui clerici, vel vovent.*

cap. unico, de voto, id 6. & epist. Innoc. I. ad Victricum cap. ult. & c. Quidam d. 27. quod desumptum est ex *D. Aug. lib. de bono viduit. ad Julianum, cap. 10. & cap. Si vir, sed.* quod est ex *Theodoreto pœnitentiali, & cap. Nuptiarum 27. qu. 1.* quod est ex *D. August. eodem lib. de bono viduit. cap. 8. & l. 11. tit. 2. p. 4.* Cujus ea est ratio, quod votum simplex non corporis traditionem, sed solam promissionem importet: atque adeo verum dominium maneat apud voventem. Ea est autem natura promissionis, ut impediat licitam translationem dominii rei promissæ in alterum, utpote quæ est adversus fidem præstitam: non tamen illam irritam reddat: quippe quæ facta est a vero domino. Et quamvis Ecclesia potuerit sua constitutione irritare matrimonia post simplex castitatis votum contracta, sicut potest alia impedimenta dirimentia statuere: at consultissime id non fecit, sed valida esse declaravit. Quippe id votum simplex emittentes, non proprie mutant statum, & sæpe absque magna deliberatione, & privatim absque testibus id vovent, nec magis Ecclesiæ se subjiciunt, quam antea subjecti essent: unde cogi nequeunt ad votum servandum per viam judicii, sed per viam correctionis fraternæ. Atque proinde non expedivit hujusmodi matrimonia irritare.

Hinc infertur optimo consilio ductum Gregorium XIII. nova sua constitutione in hoc corrigente jus commune, statuisse anno 1584. quæ incipit, *Ascendente Domino in navicula*, in favorem Societatis Jesu, ut vota simplicia post biennium probationis in illa, juxta ejusdem morem emissa irritent matrimonium postea initum. Quod rationes num. præced. adductæ, ad non irritandum in sæcularibus, omnino cessent, imo contrariæ adsint, quæ justam & valde expedientem eam irritationem reddent. Ea enim vota magna deliberatione fiunt, nimirum, præmisso biennio ad deliberandum publice coram domesticis religiosis: efficiuntque ut vere mutetur status sæcularis in regularem, ac voventes possint cogi ne retrocedant, ac puniri tanquam apostatæ, si a proposito desistant: utpote qui vere non obligatione, novoque statu Ecclesiæ subduntur, ut decidit Gregorius XIII. in ea constitutione. 5

Similiter impediunt matrimonium licite contrahi, non tamen illud dirimunt, simplicia vota ingrediendi religionem, assumendi ordinis sacri, non ineundi conjugii, & juramentum de his rebus, vel de castitate servanda factum. Quia hujusmodi vota vel juramenta e diametro adversantur statui matrimonii: ac proinde id impediunt, non tamen dirimunt, quod solam promissionem absque traditione importent, instar voti castitatis. Atque ita de juramento castitatis affirmat *Silvest. Matrimonium 7. quæst. 5. dict. 10.* Idem de voto religionis docent *Ant. Cuc. lib. 5. instit. majorum, tom. 12. num. 18. Toledo lib 7. summ. cap. 14. num. 3. Graffis 1. part. decisionum, lib 12. cap. 85. fine, Enriquez lib. 12. de matrimon. cap. 2. nu. 1. Manuel 1. tom. sum. 2. editione, cap. 224. n. 1.* Et de voto ordinis sacri assumendi docent *Enriquez, & Manuel ibi.* Et de voto non ineundi matrimonii docet *Enriquez ibi.* Et nemo de hoc dubitat. 6

Nec refert an hæc vota sint conditionalia, nec ne: an pro tempore quod nondum advenit: ut si quis castitatem promiserit, ea conditione si aliquid affectus sit: vel post parentum obitum promiserit ingressum in religionem: quamvis enim non teneatur ad votum, donec conditio impleatur, & dum parentes superstites fuerint: at tenetur interim se talem servare, ut possit conditione impleta, aut eo tempore accedente obitu parentum, servare votum. Quare interdictum est sibi interim matrim. quod ei voto adimplendo impedimentum præstat. Et sic clare docet *Abulensis c. 30. Num. q. ult.* ubi dicit astrictum voto conditionali, teneri pendenti conditione ad vitandam status assumptionem, quæ voto repugnet, nec cum illo stare possit. 7

Utrum autem liceat habenti hæc vota matrim. inire animo firmissimo ante consummationem ingrediendi religionem, saltem si jurarit sponsalia? dixi 1. 1. disp. 43. n. 6. & seqq. Et quid, si post votum defloravit aut infamavit feminam? habes ibi, tota disp. 45. Et quid, si votum post sponsalia sit emissum? ibi tota disp. 46. Qualiter etiam interdictus sit usus matrimonii initi post hæc vota, sive ante ea, sive communi consensu emissa, sive absque illo? late dicendum est l. 10. ubi de petitione debiti differemus. Et quis dispenset, dicam l. seq. 8

II. Conclusio. His votis astrictus non potest matrim. absque dispensatione inire, quamvis vehementissimis carnis stimulis urgeatur, expertusque sit passim se succumbere, nec vires ad resistendum sentiat; sive votum antecesserit difficultatem hanc se continendi, sive subsecutum sit. Hæc conclusio certissima est, constatque ex usu Ecclesiæ, quæ non existimat hunc eximia voto ratione prædictæ difficultatis antecedentis, aut subsequentis, sed causam esse dispensationis. Quia (ut optime ait *Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 2. dub. 4. col. 10. pagin. 1344. §. Respondeo ad argumentum, & duplici seq. & punct. 4. dub. 4. col. 8. pag. 1359.*) cum materia votorum castitatis, & religionis sit res gravissima, & perquam grata Deo, ac subinde magnum in eorum violatione periculum subsit: an cujuscumque judicio quantumvis moraliter certo relinquendum est, an voventi, omnibus consideratis expedientius sit matrimonium: sed auctoritas superioris dispensantis expectanda est, unde dupliciter potest considerari his votis ligatus. Priori modo, ut quædam singula- 9

ris

ris personæ posteriori autem, ut pars communitatis Ecclesiæ, & ut bonum vel malum Ecclesiæ est etiam bonum vel malum ipsius. Quamvis ergo illi ut singulari personæ possit esse melior ac salubrior status matrimonii, tecus tamen ut est pars communitatis Ecclesiæ. Certissimum enim est statum continentiæ esse tali, ut parti illius communitatis, atque adeo omnibus penitus meliorem, ac Deo gratiorem, quamdiu cum eo superior non dispensaverit. Quippe plurima scandala, & mala Ecclesiæ pullularent, si cuique permissum esset propria authoritate, ob frequentes carnis lapsus, votis his positis ad nuptias transire. Quare ut voti obligatio cesset, ob votorum horum præstantiam, oporteret quidem materiam illius minus bonam reddi roventi, si omnia penitarentur, atque adeo si is qui vovit, consideretur ut est pars communitatis Ecclesiæ. Sicut abstinentia a carnibus in Carthusianis eo morbo laborantibus, ut judicio medicorum salus desperetur, nisi illis vescantur, a culpa vindicatur: quia quamvis Carthusianus ut privatus quidam, in eo discrimine constitutus, illis vti teneretur, eique expedientius id foret: ab ea tamen obligatione eximitur, quod omnibus penitis, atque eo ut membro quodam sanctissimæ religionis, consultus illi sit, atque ut in communi totius universitatis Christianæ exemplum eluceat, condecentius illis abstinere cum propriæ vitæ jactura.

10 Quidam temperant, ut votum simplex castitatis non dirimat matrim. nisi uterque contrahens eo voto ligatus sit. Cum tunc enim sit utrique usus matrimonii interdictus, non potest inter illos validum matrim. consistere. *Ita glossa, cap. Si quis votum, statim in princ.* 27. *quæst.* 1. At verisimium est adhuc validum esse matrimon. Quia uterque non obstanti eo voto, potest dominium sui corporis valide transferre: semel eo translato, licet non inter possit petere, at reddere tenebitur. Atque ita hanc partem sustinent *Astensis summ.* 2. *part. l.* 8. *t.* 16 *articul. unico quæst.* 7. *Rosella verb. Impedimentum, impedimento* 4. *numer.* 6. *Angelus matrimonium* 3. *impedimento* 5. *num.* 5. *Silvest. matrim.* 7. *quæst.* 5. *dict.* 6. *Tabiena verb. Impedimentum, impedimento* 2. *quæst.* 6. *numer.* 7. *Navar. Summ. cap.* 22. *nu.* 73. *Veracruz* 1. *part. speculi, artic.* 15. *dub.* 3. *Matienzo lib.* 5. *recop. t.* 1. *vid. glossa* 1. *num.* 152.

11 Tertio concl. Scienter contrahens cum habente votum castitatis peccat mortaliter. Quippe cooperatur alterius peccato, atque socius & particeps illius. Præterea, quia cum votum illud sit matrimonii impedimentum, quod inter duos necessario debeat consistere, utrumque contrahentem afficit. Tenetur enim uterque matrim. ineundo abstinere, impedimento impedienti vel dirimenti in alterutro illorum existenti. Tandem 12 colligitur a contrario sensu ex *D. Augustin. epist.* 70. *ad Bonifac. comitem*; & refertur *cap. Nos novimus* 17. *quæst.* 2. & docent *glossa verb. Scient. Turrecrem. ibi, artic.* 2. *num.* 4. *in expositione textus, ad fin. Astensis, & Silv. num. præced. allegat. Navar. summ. cap.* 22. *numer.* 73. *Gregor. Lop. leg.* 11. *fin. tom.* 2. *part.* 4. *Veracruz* 1. *part. specul. artic.* 15. *dub.* 4. *Matienzo leg.* 5. *recop. tom.* 1. *rub. gloss.* 1. *numer.* 151. *Alexand. in suo Enchirid.* 2. *part. præcept.* 6. *ubi de statu matrim.* §. 1. Atque eadem ratione idem dicendum est de contrahente cum habenti votum religionis, aut ordinis sacri assumendi, aut non ineundi matrimon. Quia cum similiter impediant matrim. eadem est ratio. Obstat autem fortiter huic conclusioni, nam inire matrimon. cum excommunicato tolerato, & non denuntiato, nulla est culpa, nec cooperatio, quamvis ipse excommunicatus peccet (ut dixi disput. 9. nu. 8.) quia excommunicatus non inducitur ab altero, & potest bene contrahere petita prius absolutione. Similiter ergo nulla erit culpa, cum habente votum castitatis parato inire matrim. potest enim prius obtenta voti dispensatione licite id facere. Respondetur disparem esse rationem. Nam excommunicatio non est impedimentum speciale matrimonii, sed sicut peccatum mortale impedit omnium Sacramentorum receptionem, ratione indignitatis recipientis, ita excommunicatio, quia ita statuit Ecclesia, ob reverentiam, & dignitatem Sacramenti, quod bonam recipientis dispositionem petit. Cum non sit igitur speciale impedimentum matrimonii, nec illi obstet, quatenus contractus est, sed ratione Sacramenti, inde est ut id obstaculum non afficiat utrumque contrahentem. Quare ex parte nulla erit culpa in non excommunicato, nisi cooperaretur ad alterius peccatum: quæ cooperatio non reperitur in contrahente cum eo excommunicato parato. At votum impedimentum speciale est matrimonii, ut est contractus: ac proinde utrumque contrahentem impedit. Justus enim matrimonii contractus petit in neutro contrahente esse impedimentum impediens aut dirimens. Quare licet cesset cooperatio, cum astrictus voto est paratus, & inducit alterum, qui ut suæ utilitati consulat, matrimonio annuit: at non cessat ratio peccati, eo quod contravenitur impedimento impedienti.

12 Tandem dubitari potest, qualiter responderi liceat astricto castitatis voto (& idem de aliis votis quæ similiter impediunt) roganti an valeat matrimon. contra illud initum, *Hostien. summ. titul. de voto*, §. *Quot sunt species votorum, num.* 5. latis scrupulose loquitur, dicitque habenti votum castitatis, & roganti, an possit matrimonium inire, respondendum esse, eum non posse: & ulterius instanti, an contractum valeat; denegandam esse responsionem. Quippe si respondeatur invalidum esse, erit mendacium: si autem validum esse, præbebitur occasio ineundi matrim. cum peccato mortali: atque ita respondens eadem culpa lethali inficietur. Et ipsum sequuntur *Albert. in suo dictionario, litt. I. verb. Impediment.* 4. *fin. Astens. summ.* 2. *part. lit.* 8. *titul.* 16. *art. unic. quæst.* 9. *Greg. Lopez leg.* 2. *verb. Tan tenudo, titul.* 8. *part.* 1. *Gaeta repetitione cap Ad limina* 30. *quæst.* 1. §. 4. *numer.* 351. *Vega* 2. *tom. summ. cap.* 129. *casu* 13. Et hanc sententiam dicit tutiorem *Tabiena verb. Impedimentum, impedimento* 2. *quæst.* 5. *numer.* 6. *fin.* Et videtur tenere *D. Anton.* 3. *part. tract.* 1. *cap.* 16. §. 1. ait enim non esse respondendum secundum *Hostiensem*, ne detur ansa voti violandi: atque ita videtur clare ejus sententiam ampleti. Alii non ita rigide loquuntur, at non omnino vindicant a culpa respondentem, sed dicunt saltem eum non delinquere lethaliter. Ita *Rosella verb. Impedimentum, impedimento* 4. *fine. Silv. matrim.* 7. *quæst.* 5. *dict.* 9. *Veracruz* 1. *part. spec. articul.* 5. *dub. ultim. Anton. Cruc. lib.* 5. *instit. ut. major. titul.* 12. *num.* 24. Sed 1. dico, esse prudenter eludendum sic interrogantem, ut docet *D. Clemens epistol.* 3. respondens Origeni quærenti an fidei arcana sint omnibus referenda? Et refertur *cap. In mandatis, distin.* 43. *ad fin.* ibi, *Quod si ingesserit se, & provocaverit nos dicere ea quæ eum minus recte agentem non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere, Nam nil omnino respondere, auditorum causa utile non videtur.* Et ratio est. Quia lex charitatis non solum præscribit ne præbeamus occasionem peccandi proximo, sed etiam ut ab eo evertamus in quantum possimus. Atque ita docent *D. Anton. Silv. & Veracruz proxime allegati*. Secundo dico nullam esse culpam scandali, seu occasionis peccandi datæ, veritatem respondere, dicendo peccari mortaliter, at matrimonium esse validum. Quia cum veritas propaletur, factumque debite gravetur, explicando id esse culpam lethalem: non est occasio ruinæ data, sed accepta. Nihil enim proponitur quod suapte natura ad peccatum provocet: sed alter ex sua malitia abutitur falsa doctrina. Alias similiter delinquerent, eamdem occasionem delinquendi offerentes DD. qui ita scriptum relinquere, saltem materna lingua, quæ ab omnibus percipi potest. Et ita a peccato prædictam responsionem excusant *Abulensis cap.* 30. *Num. quæst.* 6. *in fin. Arg. matrimonium* 3. *impedimento* 5. *in fine, Matienzo lib.* 1. *recop. tit.* 1. *rubr. glos.* 1. *n.* 152. Et non esse peccatum occasionis datæ, fatetur etiam *Manuel* 1. *tom. summ. in* 2. *editione, cap.* 241. *num.* 3. Tertio dico posse adesse peccatum incautæ responsionis. Ut si quis videat fragilem interrogare, qui vera doctrina abusurus est ad ineundum id matrimonium cum sacrilegio mortali: potest quæ commode cauta responsione, cælata veritate absque mendacio interrogantem eludere, peccabit quidem imprudenter, & minus caute se habens propalans veritatem. Et hoc est, quod DD. proxime citati asseverant esse prudenter interrogantem eludendum. Quod tunc quamvis non detur occasio delinquendi, at non amovetur occasio lapsus proximi præ sua fragilitate, quæ commode amoveri potuit: atque ita offenditur præceptum charitatis proximi, quod utrumque cavere jubet, ad ejus spiritualem ruinam vitandam. Ita *Enriquez lib.* 12. *de matr. cap.* 2. *n.* 1. *commen. litt. G. Manuel proxime citatus*. Id etiam significat *Anton. Cucus nuper allegatus*, qui dicit attendendam esse interrogantis qualitatem. Tandem dico nunquam hanc culpam excedere limites venialis, nisi in respondente adsit malitia; quippe qui tali tempore, & forma respondet, ut alter merito credat eum velle, ut voto postposito matrimonium contrahat; ac proinde respondendi modus sit quædam tacita inductio. Et hoc videtur sentire Auctores allegati, qui dixerunt saltem vacare culpa lethali hanc responsionem. Atque id melius expressit *Novar. sum. c.* 22. *a.* 73. dum hanc responsionem dixit esse culpam lethalem (quamvis enim in Latina, solum dixerit esse peccatum, at in Hispana expressit esse mortale) petit enim omnes has circumstantias concurrere: nimirum, ut talis sit interrogans, tale tempus talis locus, & is respondendi modus, ut detur occasio violandi voti. Quæ malitiam in respondente sonant. Ratio autem cur extra hunc eventum non sit culpæ mortali tribuenda responsio ea est: Quod præceptum charitatis quale est hoc, non ita stricto rigore obligat ad tantam circumspectionem habendam, quæ non modicam prudentiam desiderat: nec facile tam prudens invenietur, qui subito interrogatus possit commode tacita veritate, & fugato mendacio, responsentem eludere. Tacere autem omnino non expedit (ut dixit *D Clemens dist. cap. In mandatis, dicto* 43. *relatus*.) Quia interrogatus, tanquam inurbanus judicabitur: respondentemque offendet: & non levem suspicionem in eo generabit tacitæ veritatis. Quamobrem satius erit respondere gravissimum, & atrox sacrilegii crimen esse violati voti: & ex ejusmodi sacrilego matrimonio infelices admodum exitus, ac Dei supplicia posse jure optimo timeri: atque ita divertendo in alia sermonem, obliviscetur directæ responsionis interrogans. Quod si ea prudens diversio non sufficeret ut interrogans desisteret ab incepta interrogatione, nullam agnosco culpam in responsente veritatem. Et ad tam prudenter se gerendum præcepta charitatis, quæ suavissima esse solent, quis dicit obligare sub mortali? Imo profecto ut culpa sit venialis, oportebit ut valde commode possit interrogans eludi: offeratque se modus id efficiendi.

Ad arg. n. 2. proposita respondetur. Ad 1. dic utrumque votum æque obligare, si solam obligationis speciem attendamus. Quia utrumque sub mortali, & ratione virtutis religionis obligat: ac proinde utriusque violatio est sacrilega. At sit obligatio-

nis quantitatem spectemus, longe major est voti solemnis, utpote quod veram traditionem importet, quam voti simplicis, quod sola promissio est. Ad confirm. dic, esto utrumque votum sit ejusdem speciei, (de qua re non disputamus modo, sed dicemus in impedimento voti solemnis) at posse solemne dirimere matr. non tamen simplex. Vel quod ita statuerit Ecclesia, vel quia solemne contineat etiam traditionem, non tamen simplex. Ad 2. dic, quando est sola permissio, fieri posse irritam ex sola circumstantia personæ promittentis, ut si voto castitatis ligatus promittat feminæ matrim. Quia ea malitia redundat in objectum, cum nefas sit tale matrim. inire. At quando est traditio, qualis reperitur in ipso matrim. contractu, non irritatur ex ea malitia. Et ratio differentiæ est, quod in priori casu obligetur promittens ad rem, quæ circa culpam impleri nequit: ac proinde est nullius valoris promissio: in posteriori autem, peccatur in ipsa traditione tacta per matrim. at deinceps in usu ad quem obligat matrimon. qui est reddere debitum, minime delinquitur: unde non est cur traditio illa non sit firma. Ad tertium dic, licet votum simplex sit vinculum fortius ex parte cujus alicui fit: at esse debilius ex parte modi obligandi. Nam matr. obligat ut perpetua traditio transferens corporis dominium: votum vero simplex, ut sola promissio manente dominio apud voventem. Ad argum. num. 3. objecta constat ex dictis num. 9. ubi explicimus eas regulas.

14 Quæstio posterior. Num ei qui venereis tentationibus vexatus passim succumbit, nec mediis adhibitis aliis fore ut illi consulatur, spes est, liceat suadere ut matrimonium ineat, quamvis voto castitatis simplici astrictus sit? Quæstio hæc ex eo pendet, an liceat minus malum consulere illi, qui majus perpetrare animo constituit, & ad id inducere illum? Duplex est sent. Prima ait, illicitum esse id minus malum consulere. Ita videtur clare sentire *Anton. c. Super eo, ad fin. de usuris*, dicit enim eum textum valde repugnare sententiæ contrariæ. Et tenent *Gabr.* 4. *d.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 14. *Cajet.* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 4. *notabili* 3. *ad fin. Silvest. Matrim.* 7. *quæst.* 5. *dict.* 9. *Conrad. de contract. qu.* 25. *coroll.* 1. & 2. *quæ infert ex* 2. *concl. Covar.* 3. *decret.* 1. *part. cap.* 4. *in princip. nu. ult. ad fin. Valentia* 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. *col.* 4. *Emman. Sa, summ. verb. Peccatum nu.* 8. quamvis sub obscure loquatur, & *Angles floribus* 2. *part. de restit. qu. Quis teneatur ad restitutionem, art* 1. *dub.* 4. *diffic.* 8. cum hoc temperamento, si utrumque sit intrinsece malum. Addunt *Cajetan. Covar. & Valen.* aliud esse offerre materiam minoris mali, non inducendo ad illud: aliud inducere ad minus malum: illud enim licet, hoc vero minime. Nam in priori casu voluntas tantum fertur in vitationem majoris mali, & declaratur tantum ejus malitia. Dicitur hæc sentent. primo per *cap. Super eo, de usuris* ibi: *Multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur*. At majus malum est homicidium quam usura. Non ergo minus malum licet ad vitandum majus. 2. Peccat faciens minus malum ad vitandum in se vel in altero majus: ergo & is qui consulit facere minus, quantumvis parato ad majus admittendum. Nam quod ad peccatum attinet, nil interest inter consilium & executionem: si omnibus penitis, uno & eodem modo se habet objectum peccati ad consilium & executionem. Quod hic contingit, nam omnibus penitis alter facit quod hic consulit faciendum. Et confirmatur, quia cum comparativum non tollat positivum, qui consulit minus malum, vere consulit malum quod iniquum est 3. quod non licet petere, quod alius nequit juste facere: quamobrem a maleficio quantumvis parato non licet petere ut maleficium maleficio solvat: quia ille non potest id absque peccato exequi. Cum ergo is cui consulitur minus malum, peccet id efficiens, peccabit pariter qui consulit, & petit ut faciat. 4. quia quod est materia consilii, cum bonum sit, potest aliquando cadere sub præcepto: at minus malum nunquam potest præcipi, ergo nec consuli. 5. quia si licet consulere minus damnum gratia vitandi majoris, eo quod id non sit consulere malum, nec damnum, sed electionem illam minoris mali & damni, quæ bona est, & utilis illi cui damnum inferendum erat: licebit non tantum respectu ejusdem, cui utrumque damnum est inferendum, sed etiam quando diversis ea damna inferri debent. Quia utrobique non consulitur malum absolute, sed deviatio a majori damno, quæ bona est: & hæc est intentio consulentis: fieri vero illud minus damnum ex pravo operantis affectu provenit. Cum ergo fere omnes negent id consilium licere, quando damnum est diversarum personarum, negandum quoque erit, quando est ejusdem personæ. Nam ad bonitatem vel malitiam consilii, nil conferre videtur, sive damnum sit ejusdem sive diversæ personæ. Tandem quia consulens & inducens, vere est causa illius minoris damni. Ergo peccat contra justitiam, & tenetur restituere.

15 II. Sententia (quam veriorem existimo, licet prima sit satis probabilis) ait licitum esse consulere minus malum gratia vitandi majoris, quando is cui consulitur constitutum apud se habebat majus illud malum perpetrare: & alia via a majori proposito revocari nequit, ut si quis decreverit occidere Petrum, & nullo modo possum eum avertere ab eo malo animo, possum consulere ut potius eum percutiat, vel ab eo furetur. Et si quis certus sit adulterium perpetrare, nec alio modo retrahi possit, potest illi suaderi ut potius fornicationem simplicem admittat. Probatur ex *D. Augustino lib.* 2. *de adulterinis conjugiis c.* 15. & refertur *cap. Si quod verius*, 33. *q.* 2. ibi: *Si enim faciturus est quod non licet, fam faciat adulterium, & non faciat homicidium: ut vivente uxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat*. Ubi *D. Augustin.* ei qui decreverat uxorem necare, quo aliam duceret, consulit ut potius adulterii reus sit, aliud vivente uxore matrim. ineundo, quam uxoricidii. Et quamvis *glossi. ibi verb. Adulter*, explicet hunc textum, ut loquatur non consulendo, sed permittendo: ita ut sensus sit, potius esse permittendum minus malum. Et eodem modo explicat *ibi Turrecr. nu. unic.* explicat enim, faciat, id est, tolerabilius erat. At vero textus non permittendo, sed consilium continent. Quod clare sonant ea verba: *Jam faciat adulterium*. Alii autem volunt eum textum minime favere huic sententiæ sed potius contrariæ. Quod ibi *D. Augustin.* subdat non esse illicitum pro illicito faciendum concludens si utrumque nefarium sit, alterum pro altero perpetrandum minime esse, sed utrumque vitandum. Sic *Gabr. & Emman. Sa, num. præced. allegati, Pereira in cap.* 19. *Genes. disp.* 1. *nu.* 9. At *Abbas c. Super eo, in fin. de usuris, & ibi Ananias numer.* 3. *Adrianus, Sotus, Navar. Gutier. Aragon Molina* dicens esse rem apertam, statim allegandi, explicant hunc textum, ut vere *D. Augustin.* consulat id minus malum. Quia quamvis *D. Augustin.* dicat neutrum crimen esse perpetrandum, neque alterum pro altero eligendum: ac proinde eligentem minus delictum esse culpæ obnoxium: at expresse quando delinquens utroque abstinere renuit, consulit illi ut minus malum exequatur. 2. ex *D. Epiph. lib.* 2. *contra hæreses, tit.* 1. *hæres.* 61. *pag.* 6. ubi postquam docuit gravissime delinquere, qui contra votum castitatis matr. copulatur consulit ei qui contra votum libidini vacat, ut matr. ineat, ibi: *Melius est unum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum palam sibi uxorem sumere, quam quotidie occultis jaculis jaculari*. 3. ex *Div. Gregor. lib.* 32. *moral. cap.* 13. & habetur *c. Nervi, d.* 13. ibi: *Si omnino nullus fine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur*. Ubi inter duo mala culpæ minus semper eligendum docet: clare enim loquitur de malo culpæ: ut testantur ea verba, *Nullus fine peccato evadendi aditus patet*. Et quamvis casus re ipsa sit impossibilis, non enim potest dari perplexitas: at ex conscientia erronea potest dari. Ut si pastor die Dominica existimet se teneri ad audiendum sacrum: & ex altera parte existimet etiam se teneri non deserere oves, propter damnum dominii, & circumvicinarum fegetum. Si ergo in hoc casu juxta D. Gregorium tenetur ita perplexus id quod minus peccatum est eligere: similiter quando ex prava affectione quispiam majus malum perpetrare certus est, licebit mihi consulere ut minus eligat, quamvis ille reus culpæ sit utrumvis eligendo, utpote qui potest, & tenetur utrumque cavere. 4. *ex Div. Chrysost. homil.* 17. *ad popul. Antiochenum*, ubi dicit assueto jurare per Deum, consulendum esse, ne per illum, sed per caput suum juret. Quod quidem est juramentum, juxta illud *Matth.* 5. *Neque per caput tuum juraveris*: sed multo levius. 5. quia *D. Ambros. D. Augustin. D. Thom.* (ut num. 28. referam) vindicant factum Loth a culpa, offerentis filias stuprandas Sodomitis, quod minus malum consuluerit ad vitandum majus. 6. probatur ratione. Quia consulens, vel petens minus malum fieri, quando aliter a majori malo non potest revocare, vere non consulit, nec petit ut minus id malum exequatur, sed solam minoris mali præelectionem. Quod objectum non est malum, sed bonum. Juxta regulam illam Topicam approbatam a *D. Greg. c. Nervi, d.* 13. *Ex duobus malis minus est eligendum*. Et confir. quia proximus per hoc consilium minime ad peccatum inducitur. Cum enim ille majus peccatum patrare apud se firmiter statuerit, solum ad id inducitur, atque eo consilium pertinet, ut peccatum minuat, sed a parte culpæ desistat, quod sanum consilium est: sicut si volenti furari, & occidere, consulerem ne homicidii reus esset. Quod si alteri acquiescere nolit, nisi minori malo executioni mandato, suæ culpæ & non consulentis adscribendum est. Atque ideo hanc sententiam tenent *Innoc. cap. Super eo, in fin. de usuris, Host. ibi, ad fin. Joan. Andr. num.* 2. *fin. Abbas in fin. Anchar. fine, Cardin. fin. Andrian. quod lib.* 4. *art.* 3. *ad* 8. & *quod lib.* 9. *art.* 3. *ad* 3. *in fin.* & 4. *tract. de restitut. qu.* 1. § 2 *dubitatur, vers. Ex quo infero, Angelus Matrimonium* 3. *impedim.* 5. *fine*, & *Usura* 2. *num.* 2. *Silvest. Usura* 7. *quæst.* 1. *fin. Cajet. Summ. verb. Tyrannis*, *Et* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 8. *ad fine. Et in opusculis, tom.* 2. *tract.* 31. *Jetemdecim responsionum, responsi.* 13. *in solut. ad* 3. *dub. Armilla verb. Tyranus, num. unic. ad fin. Joann. a Metina de restitut. qu.* 7. *ad* 1. *Sotus in cap.* 3. *ad Roman. super ea verba, Non sunt facienda mala, & lib.* 4. *de justit. qu.* 7. *art.* 3. *ad finem corporis, ver. Verumtamen: & lib.* 6. *q.* 1. *art.* 5. *col.* 4. *vers. His non obstantibus, Navar. Summ. latin. c.* 14. *n.* 40. *vers.* 13. & *cap.* 17. *n.* 263. & *cap.* 24. *num.* 11. *fin. His p. cap.* 14. *num.* 29. & *cap.* 24 *n.* 14. *c.* 17. *num.* 263. *cap.* 28. *addit. ad num.* 30. *cap.* 14. *vers. La* 16. *Veracruz, 1 par. specul. art.* 15. *dub. ult.* & *in id ad Rom.* 3. *Non sunt facienda mala, Corduba Summ. quæst.* 5. *coroll.* 8. *Bart. a Metina* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 4. *ad fin. Nieva sum. tit.* 126. *Navar. lib.* 3. *de restitut. cap.* 14. ubi *de jus. & consil. notab.* 4. *in nova edit. num.* 23. *Gutier.* 4. *canon. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 43. & *segq. Matienz. lib.* 5. *recop. tit.* 1. *rub. gloss.* 1. *num.* 152. *Enriq. lib.* 4. *de pœnit. cap.* 27. *num.* 9. *P. Molina tom.* 2. *de just. tr.* 2. *disp.* 335. §. *Hac tamen concl. Salon.*

2. 2. q. 62. art. 7. controv. 7. & qu. 78. art. 4. controv. 1. col. 4. Arag. 2. 2. q. 62. art. 6. col. 15. in resolut. ad 2. & q. 78. a. 4. col. 8. §. Hac tamen non obstante, Carbon de restit. q. 69. concl. 2. Graffis 1. part. decis. l. 2. c. 127. n. 11. Lud. Lop. 1. part. instruct. c. 58. col. 2. §. Li-
cet inducere, Manuel 2. tom. sum. 2. edit. c. 12. n. 9. vers. Lo quarto, Vega 3. tom. sum. cap. 9. casu unic. Et dicit probabilem, & non malam sententiam, Pereira cap. 19. Gen. disp. 1. n. 13.

16 Imo in hoc eventu non tantum licet consulere, sed etiam inducere ad minus malum perpetrandum. Quod probant rationes num. præced. allatæ. Consilium enim quædam inductio est: nec inducitur tunc vere ad malum, sed ad electionem illam minoris mali: quæ bona est. Hoc videtur esse contra Arag. 2. 2. q. 78. ar. 4. col. 8. §. Sed dubitabit aliquis, ubi supponit non licere inducere, bene tamen consulere. Sed nobiscum sentiunt Cajet. sum. v. Tyrannis. Et opusc. to. 1. tr. 31. septemdecim respons. 13. dub. 3. Sot. lib. 6. de justit. q. 1. a. 5. col. 3. vers. Tertio ad hominem, Innoc. Angel. Silv. Navar. Armil. Gutier. Lud. Lop. n. præc. ad leg.

17 Hinc infertur, inducentem in hoc casu ad minus damnum alicui inferendum, quo majus ejusdem caveat, minime deberi restituere. Quod clare constat: quia non tenetur ratione rei acceptæ, nil enim commodi reportavit: nec ratione injustæ acceptionis: quia non delinquit in eo consilio dando, nec inducendo. Item, quia hic valde utiliter agit negotium domini, ita Adrian. 4. tract. de restit. q. 1. §. 2. dubitatur, vers. Ex quo infero, Joan Matin. de restit. q. 7. ad 1. Sotus l. 4. de justit. q. 7. art. 3. ad fin. corp. vers. Verumtamen, Nav. sum. Hisp. c. 24. n. 14. Arag. 2. 2. q. 62. art. 7. col. 15. in solut. ad 2. Et ibi Salon contr. 7. Carbon de restit. q. 69. concl. 5. Graffis 1. part. decis. l. 2. c. 127. n. 11.

18 2. Infertur, ferentem opem latroni, ac rem furto ablatam convehentem, quo minus damnum inferat, nec peccatro, nec tubinde restitutioni obnoxium esse. Quod non ad furtum, sed ad minus damnum cooperetur, & utiliter rem domini gerat. Ita Adrian. Joan Metin. Nav. n. præc. allegat.

19 3. Intertur, parato ad majus malum perpetrandum licere offerre materiam minoris mali, ut parato ad occidendum quempiam, quod ejus bona furetur, licitum est ei exponere quemadmodum exercendo minus malum, nempe, usuras, possit bona consequi, ac mortem injustam illius vitare. Quia id tantum est non vitare usuræ peccatum & scandalum passivum, quod ex ea declaratione minoris mali crediteur alterum incursurum committendo id minus malum. Et quamvis charitatis lex obliget ad hanc quoque peccati occasionem tollendam, id verum habet, nisi necessitas aliud suadet: ut contingit in præsenti. Necessitas enim majoris damni vitandi cogit. Hujus sent sunt Cajet. Arboreus, Oleaster, Covar. Valent. Carbon. n. 28. all. gandi: qui ideo excusant factum Loth a culpa, quod solum minoris mali materiam obtulerit, Idem docent Sotus l. 6. de justit. quæst. 1. art. 5. col. pen. vers. At vero de Loth, & Pereira cap. 19. tien. disp. 1. n. 13. ubi quamvis factum illud Loth non approbent: ac fatentur potuisse illum dicere Sodomitis. Si cernent: ac fatentur potuisse illum dicere Sodomitis. Si certum vobis est explere vestram libidinem, ad fœminas potius divertite, quæ in hac civitate complures sunt. Præterea id licere, probatur ex iis quæ nu. seq. dicemus. Id tamen nullo modo licet, nimirum, inducere complicem ut illius culpæ particeps fiat, ut ad evitandum gravissimum adulterium, non licet solutæ fœminæ consulere ut corporis sui copiam adultero faciat. Quia soluta illa vere ad malum inducitur, quod nulla ratione licite potest facere: nec illa prælectio minoris mali in se, ad vitandum majus alterius, potest boni rationem induere, ut nu. 27. dicemus. Sic Sotus eodem art. 5. col. 7. vers. Ex his ergo.

20 Temperant quidam omnia prædicta, nimirum, ut liceat consulere alicui minus malum, & ad id illum inducere, quando ille utrumque facere decreverat: secus si de majori malo perpetrando tantum excogitaret: non enim minus ei consulere liceret. Quippe id esset simpliciter ad malum inducere, ac determinare. Ita Navar. lib. 3. de restit. cap. 4. ubi de jussione, & conf. notab. 4. in nova edit. nu. 23. Carb. de restit. q. 69. post 3. concl. dicens forsan oppositam sententiam esse probabilem. At non est admittenda prædicta limitatio, sed licitum est, illi id minus malum proponere ac consulere. Quia id solum est hortari ne majus illud malum perpetret, proposita materia minoris mali, quod num. præc. probavimus licere, Et confirm. quia promovens ad minus malum, non determinat illum ad malum, sed retrahit a majori malo, proposita minori materia, ad quod mala ejus voluntas se determinat. Tandem, quia rationes adductæ num. 15. ad probandum licere consulere minus malum ad vitandum majus, æque procedunt, sive ille ad utrumque malum determinatus sit, sive ad solum majus. Atque ita ceteri DD. ibi allegati pro ea sententia indistincte admittunt hoc consilium esse licitum.

21 Oportet autem ut liceat minus id malum consulere, ut ille sit omnino ad majus malum determinatus, a quo aliter avelli nequit. Nam si certis conjecturis existimet quipiam fore ut alter adulterium patret, quod nondum animo constituit, nefas esset persuadere illi simplicem fornicationem, qua calorem libidinis temperet. Similiter si videat illum ad sodomiam valde propensum, iniquum esset pravi habitus executione prævenire, suadendo accessum ad feminas. Quia tunc voluntatem minime malo inhærentem, ad malum consulens determinat. Ita Sotus lib. 6. de justit. q. 1. ar. 5. col. 5. vers. His tamen non obstantibus, P. Molin. t. 2. de justit. tr. 2. disp. 335. §. Hac tamen conclusione, Salon 2. 2. q. 78. art. 4. contr. 1. col. 4. §. Prius est, Vega t. 1. sum. c. 9. cas. unic.

Non est tamen necessarium in consilio minoris mali perpetrandi, exprimere eam conditionem, si majus malum facturus es. Quamvis enim non liceat absolute consulere minus malum: at dum determinato prorsus ad majus consulitur minus, subintelligitur semper talis conditio. Ita Cajet. opusc. tom. 1. tr. 31 septemdecim responsionum, resp. 13. ad 3. dubium, Sotus lib. 6. de iust. 1. q. 1. art. 5. col. vers. Quod huic ergo, Salon 2. 2. q. 78. ar. 4. contr. 1. col 7. §. Ex quibus sequitur. 22

Utrum autem non solum privato licitum sit consulere alteri minus malum ad vitandum majus, sed etiam id quoque possint parentes, confessarii, & judices consulere? non constat inter DD. Quidam enim negant: ducti quod teneatur ex officio vitare omne peccatum sui subditi. Ita aliqui, quos tacito nomine refert Salon 2. 2. q. 62. art. 7. contr. 7. in solut. ad 2. Quibus jure optimo ipse non connivet: eo quod quæstio hæc procedit casu quo consulens non potest alterum a majori malo avertere tentatis aliis mediis, (ut nu. 15. diximus:) at tunc consilium horum non minus est utile illi, cui majus damnum inferendum erat, quam si a privato quodam proficisceretur: nec ipsi etiam cui consulitur, est minus utile: si quidem avertitur ne ita gravis crimnis reas fiat: cum aliter retrahi nequeat: Eam tamen differentiam agnosco inter eos, qui ex officio & lege justitiæ tenentur impedire damnum tertii, quales sunt ministri justitiæ: & alii cui ex officio injuncto id incumbit: ac ceteros privatos quos sola charitatis lex ad id astringit. Quod illi si alio modo poterant majus illud damnum vitare, quam minus consulendo, teneantur restituere refarciendo minus id damnum tanquam legis justitiæ transgressores. Hi autem & si alia via possent utrumque damnum cavere, non tenebuntur restituere consulendo minus, eo animo ut retrahant a majori. Quia rem domini agunt impediendo illud majus damnum: quod si delinquant non impediendo minus, id delictum non est contra justitiam, sed contra solam charitatem, quæ impedire obligat, cum possent. Sed dices hunc non solum non impedire, sed etiam consulere: ac proinde influere ad minus illud damnum: eo vel maxime, si sint diversi generis damna, & inductus solum majus damnum inferre excogitarit, ut si certus sit Petrum interimere, & quo illum ab eo propósito revocem, consulo ut potius ab eo centum furetur: cum possem ab homicidio retrahere alio modo. Sed respondeo consilium ex objecto adhuc bonum esse, cum non consulatur vere illud minus damnum, sed electio illa, (ut num. 15. probavi:) sed tantum peccatur in modo contra legem charitatis præscribentis utrumque vitare: unde negandum est hanc consulentem influere ad minoris damni illationem, sed ad solam illam bonam electionem.

Gravior vero difficultas est, Quando majus & minus damnum non sunt eidem personæ, sed diversis inferenda: an liceat consulere minus damnum inferri uni ad vitandum ne majus inferatur alteri: quando utrumque malum cavere nequit alio modo consulens? Quidam discipuli D. Thom. affirmant (ut referunt Salon. & Navar. ftatim allegandi.) Idque non leviter suadet quintum argum. num. 14. propositum. Verum id minime licere tenendum est, sed sic consulentem teneri restituere, ratione illius minoris damni suo consilio illati. 1. quia si consulens est directe causa illius damni tertiæ personæ; id enim inferendum non erat, nisi ipse consuluisset: nec fas est uni prodesse cum alterius detrimento: est enim quod vulgo abiit in proverbium: Quitar de un santo para componer a otro, o hurtar para dar limosna. 2. quia illa tertia persona signata, jus habet ne ipsius damnum consulatur, gratia detrimenti majoris alieni vitandi. Quis enim dubitet iniquum esse, volenti interficere Joannem, gratia injuriæ ulciscendæ, consulere ut Petro brachium potius abscindat? Quid enim debet Petrus in hoc Joanni? Tandem, quia media ad vertendum quempiam a pravo nocendi proposito, debent esse proportionata fini, juxta justitiæ limites, qui nulli damnum inferri permittunt, nec unius commodo consulere, alteri damno dato, ut furari non permittunt ad pauperum eleemolynas: eo vel maxime, quod cum illa tertia persona minime teneatur id minus detrimentum subire, ut gravius alienum caveatur, merito conqueri potest de consulente, ac juste est invitus. Peccat ergo contra illius jus sic consulens, ac proinde damnum compensare tenebitur. Atque ita docent Sotus lib. 4. de justit. qu. 7. art. 3. paulo ante solutionem ad 1. vers. Verumtamen. Arag 2. 2. q. 62. a. 7. col. 15. a 2. Salon. eodem art. 7. contr. 7. & q. 78. art. 4. contr. 1. col. 9. paulo ante argum. solut. P. Molin. t. 2. de just. tr. 2. disp. 335. Hac tamen concl. Navar. lib. 3. de restit. cap. 4. ubi de justione & consilio, notab. 4. in nova edit. num. 24. Carbon de restit. q. 69. concl. 4. Lud. Lop. 1. part. instruct. cap. 58. col. 2. §. At hanc sententi. Graffis 1. part. decis. l. 2. c. 127. n. 11. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 12. n. 9. vers. 4. Vega 1. to. Summ. c. 9. cas. unic. Quod verum est, quamvis ille non esset determinatus ad majus damnum inferendum: sed dubius esset num majus damnum inferret Paulo, an minus Joanni: tunc enim peccaret, & restituere teneretur consulens illud minus damnum: quamvis ille

ille determinatus esset ad unum ex illis duobus damnis inferendum. Quia consulens injurius esset Joanni, voluntatem alterius dubiam determinans ad id damnum, quod forte absque ejus consilio non fublequeretur. Ita contra aliquos, quorum nomina subticet, tenet Navar. eo n. 24. Qui bene subdit secus esse, si utrique id damnum inferre decrevisset: tunc enim liceret consulere ut alterum solum inferret, quando alia via revocari nequit. Quia tunc non esset inducere ad malum ullum, sed ad minus: cum minus sit, unum quam duos lædere. Et neuter inde jure offendi potest: quod ille utrumque inferre decrevisset: ac subinde ex eo quod alterum sive majus sive minus damnum passurum liberem, alter conqueri nequit. Quod ego intelligo verum, si solam justitiæ legem attendamus. Posset tamen violari charitas avertendo a minori damno, postposito alterius majori: si utrumvis posset ille impedire, non tamen utrumque. Quippe lex charitatis majus damnum præferri postulat, nisi aliunde aliqua ratio præponderet, quæ antepositionem minoris cohonestet: ut conjunctio major cum consulente, aut major pauperras. Sententia tamen dicta est primo temperanda, nisi damnum unius esset modicum, alterius vero magnum, maxime si hic sit pauper, ille vero dives. Tunc enim licet inducere ad id modicum damnum, quo in altero magnum caveatur. Quippe non juste invitus esset nolens in hoc eventu id modicum detrimentum pati. Sic Navar. eod. c. 3. n. 25. Ex quo rursus colligitur secunda limitatio, nimirum, si is in cujus detrimentum consulitur illud minus malum, teneatur illod pati, ut vitetur majus in altero. Ut si quis decreverit regem, vel aliam personam valde reipublicæ necessariam, interficere: ad cujus mortem cavendam tenetur potius plebejus illam pati: licitum est consulere ut potius plebejum illum neeet. Ill. limitatio est, si malefactor nolit certæ & determinatæ personæ nocere, sed in communi, licet consulere minus damnum, videlicet, ut illi damnum inferat cui minus nocebit, ut volenti furari fuadere licet, ut potius a divite quam a divitiis destituto. Quod clare constat ex testimonio D. August. numer. 15. allegato, ubi occidere volenti adulterium consulit. Præterea, quia in hoc eventu nulli injuriam irrogat consulens, cum ad nullius damnum determinet voluntatem alterius, sed potius avertat a majori damno hujus. Sic Adrian. quodlib. 1. art. 3. ad 8. Salon. 2. 2. quæst. 62. art. 7. controv. 7. Imo eadem ratio concludit idem esse dicendum, quando vult ille nocere certæ personæ: tunc enim licet consulere non licet, ut alteri determinatæ personæ minus damnum inferat, at liceat in generali, minime nominata persona, ut volenti furari a Petro inope, fas est consulere, ut eo relicto, potius a divite furetur; nullo nominato. Quia tunc similiter ad nullius damnum voluntas illa determinatur a consulente, sed revocatur ne huic pauperi noceat, cui magis noxium esset furtum, quam diviti. Et sic caute P. Molin. tom 2. de just. tract. 2. disp. 335. §. Hac tamen conclusione, dicens non licere consulere minus malum alii tertio inferendum, addidit, modo id vergat in detrimentum cujusdam tertii in particulari: clare significans secus esse quando non cederet in detrimentum alicujus nominatim expressi.

25 Hinc deducitur decisio hujus quæstionis, an volenti rapere bona mea, liceat suadere ut potius bona alterius rapiat ad bona propria tuenda? Respondet bene Salon. 2. 2. qu. 62. a. 7. controv. 7. fine, id minime licere. Quod nefas sit alteri qui invalor non est, damnum inferre, ejulve damnum suadere; ut indemnitati meæ consulam. At licere existimo suadere ut potius alii noceat, nulla nominata persona, ut dicendo, si furari vis, fine me, multi alii sunt a quibus furari possis. Tunc enim nullius damnum consulitur, sed proprium avertitur.

26 Sed an liceat consulere æquale malum, ad vitandum æquale? Carbon. de restit. q. 69. in solut. ad 4. dicit posse concedi esse licitum. Sed qua ratione id possit concedi, minime video. Cum electio æqualis mali nullam boni rationem inducat, quo illa cohonestetur: ac proinde objectum talis consilii malum sit. Id tamen libenter fatebor hunc consulentem excusari a restitutione, quando esset omnino æquale damnum, eidemque alterutrum absque eo consilio certissime inferendum. Quia id consilium nil operatum est, sed mutationem materialem damni in prorsus æquale.

27 Quamvis tamen liceat consulere alteri minus malum ad vitandum majus: at nemini licet sibi tali consilio uti. Quippe in altero non potest utrumque malum vitare: & proinde tuto consulit minus: at in se ipso potest, & tenetur utrumque cavere. Ita Sotus l. 6. de just. quæst. 1. art. 5. col. 7. paulo ante vers. Ex his ergo. 2. 2. quæst. 78. a. 4. controvers. 1. in solut. ad 3. P. Molina tom. 2. de just. tract. 2. disp. 335 ad 2. Carbon. de restit. qu. 69. ad 2. Unde audiendi non sunt quidam, quos taceito nomine refert gloss. c. 1. d. 14. verb. periculosissime, asserentes licere cuipiam veniale admittere, ut caveat in altero mortale, quia mortem temporalem fubire licet gratia vitandæ pœnæ æternæ alterius: at veniali pœna temporalis eorresponder. Sed merito gloſſa ibi ab illis recedit: quam sequuntur Turrecr. ibi, art. 2. n. 4. Sotus nuper alleg. vers. Ex his ergo. Quod comprobat ille textus, qui est D. August. lib. qu. super Genes. cap. 42. Quia quamvis malum pœnæ possit amplecti ad culpam alterius vitandam: at secus est de malo culpæ, quantumvis minimæ: implicat enim culpam esse, & licite posse eligi.

28 Ex dictis deducitur qualiter factum Loth a culpa vindicari *Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. II.

valeat: qui (ut refertur Genes. 19.) Sodomitis libidine furentibus abutendi hospitibus, quos domi exceperat, proprias filias stupprandas obtulit, ut vel sic expleta libidine, a pejori Sodomiæ scelere se abstinerent. De qua re latissime consulendus est Pereira in cap. 19. Gen. disp. 1. Sed breviter id factum damnant D. August. lib. quæstionum super Genesim, cap. 42. & refertur cap. 1. d. 14. dicens perturbationi Loth, & menti tanto malo permotæ, potius quam sano consilio tribuendum esse, & lib. contra mendacium, cap. 9. gloss. interlinearis, Lyra, Thom. Anglicus, Abulensis, Hugo, Dyonisius, Ferus in eumdem locum Genes. 19. & 161. & ibi Lipoman. in catena. Sot. l. 6. de just. quæst. 1. art. 5. col. pen. vers. At vero de Loth. Pereira in cap. 19. Genes. disp. 1. in fi. Salon 2. 2. quæst. 78. art. 4. controversia 1. in solutione ad 4. in fin. Alii vero (quod magis mihi placet) a culpa excusant id factum. Sic D. Ambros. lib. de Patriarch. lib. 1. de Abraham, cap. 6. refertur cap. Offerebat, 32. quæst. 7. D. Chrysost. hom. 43. in Genes. D. Aug. lib. de mendac. cap. 7. D. Thom. quæst. 1. de malo, art. 5. ad 14. Adrian. Quod lib. 1. art. 3. ad 8. Cajet. & Honcala in eumdem locum Gen. 19. idemmet Cajet. 2. 2. quæst. 78. art. 4. notab. 3. ad fin. Oleaster in eumdem locum Gen. 19. Arboreus lib. 10. Theologo. cap. 2. fin. Covar. 4 decret. 1. p. cap. 4. in princ. num. ult. ad fin. Valentia 2. 2. disp. 5. quæst. 21. punct. 4. col. 5. Et hoc ipsum P. Molin. t. 2. de just. tract. 2. disp. 335. fi. Arag. 2. 2. q. 62. a. 7. col. 15 in solut. ad 2. Carbon. de restit. q. 69. post 3. concl. At in modo excusandi discrepant. Nam D. Ambros. D. Thom. Aragon, Carbon, excusant quod minus delictum fit secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere. Alii vero quod Loth non fuaferit filiarum stuprum, sed materiam minoris mali obtulerit. Sic Cajet. eo. ar. 4. Arboreus, Oleaster, Covar. Valentia nuper allegati. Alii, quod noluerit Loth filias stuprari, nec prostituere, cum id sit eas inducere ad malum. Sed notat filias non præbituras consensum stupro, sed invitæ, ac proinde absque earum culpa fore ut violarentur. Ita Adrian. proxime allegat. At is excusandi modus placet, ut Loth minime obtulerit filias ea mente ut Sodomitæ illis abuterentur, sed quod ea submissione illius deflexi, ab hospitum Sodomitico abusu temperarent. Ut fi quipiam in se vehementer indignanti pugionem offerat, dicens, Me eneca, non eo animo ut is mortem inferat, sed ut ea submissione placatus iram fedat. Sic Cajet. in eum locum Gen. 19. & ibi Honcala Molina proxime citatus. Et merito Pereira in id c. 19. disp. 1. fin. si a culpa vindicandum sit factum illud, hunc excusandi modum omnibus præfert.

Tandem ex his decidenda est quæstio n. 14. proposita. Num 29
habenti votum castitatis, aut reliqua matrim. impedientia, & ita carnis illecebris agitato, ut se continere nequeat, sed passim succumbat, licite fuaderi possit ut matrim. ineat, ut vel sic minus peccet? Id enim licere probat aperte testimonium D. Epiphanii num. 15. allegatum, ubi id consulit. Quod matrimonio inito unicum peccatum admittatur: atque adeo id tanquam minus malum præferendum sit quamplurimis facinoribus, quæ passim venereis vacando perpetrantur, juxta doctrinam quam n. 15. amplexati sumus. Atque ita suadere licitum esse fatentur Angelus Matrimonium 3. impedimento 5. fin. Veracruz 1. p. Speculi, art. 15. dub. ult. Mauzanzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gloss. 1. n. 152. At contrarium docent Asensis summ. 2. p. lib. 8. t. 10. a. un. q. 10. Sylvest. Matrimonium 7. q. 5. dict. 9. Et videntur clare sentire Hostiens. sum. tit. De voto, §. Quot. sunt species, n. 5. Greg. Lopez l. 2. verb. Tantenudos, t. 8. p. 1. ubi ajunt interroganti an post votum castitatis, quo ligatus est, valeat matrimonium, non posse responderi validum esse: nisi interrogans non servet continentiam. Tunc enim poterit responderi valere ut majus peccatum vitet: subdunt tamen dicendum eidem esse, Meo consilio non inibis matrimonium: ac proinde videntur sentire minime licere consulere illi matrimonium ad majus id peccatum vitandum. Sed dicendum est, moraliter & ut plurimum loquendo, nunquam licitum esse tale consilium. Quod ut minus malum possit consuli, defideretur alterum esse omnino ad malum majus determinatum, nec sufficiat pravus habitus ipsum ad lapsuum frequentiam impellens: insuper sit etiam necesse, ut nullo alio modo retrahi possit a majori eo malo perpetrando, nisi illo minori malo sibi proposito, (ut probavimus n. 15. & 21.) quæ in hoc casu minime concurrunt. Quippe voto astrictus non omnino animo constituit venereis inhærere, sed præ fragilitate ac pravo habitu impulsus labitur. Deinde potest illi faceili negotio consuli, nimirum, petita voti dispensatione, quæ statim concedi solet allegato incontinentiæ periculo. Verum si eo voto ligatus ita malo inhæret, ut nec dispensationem petere vellet, nec a venereis desistere, sed omnino paratus esset ad illis vacandum, speraretque matrimonio inito illi malo consulturn fore: amplector priorem opinionem, nempe licere id consilium dare, quo a majori malo retrahatur. Tunc enim omnia requisita ad cohonestandum minoris mali consilium reperiuntur.

Tandem ad argumenta n. 14. proposita respondetur, Ad 1. 30
dic, eum textum solum reprobare non licere cuipiam usuras exercere, ut captivi vitam redimat. Quia nemini licet etiam veniale admittere ad majus malum in altero vitandum, ut nu. 27. probavimus: at non probat minime licere id minus fuadere malum ad majus vitandum. Ad 2. neganda est consequentia. Quia non se habet minus malum, quod est consilii objectum, eodem modo ad consilium & executionem. Nam in exequen-

tis poteſtate ſitum eſt, utrumque malum cavere, ac proinde reus eſt culpæ, quamvis levioris, minus malum eligendo: at conſulens nequit ab utroque malo ipſum retrahere: quocirca licite minus malum ſuadet, ut ſic leviorem culpam is, cui conſilium præbet, contrahat. Ad confirm. dic, Si fateremur vere ſuadere minus malum, concluderetur utique ſuaderi poſitivum, quod eſt malum: at non ſuadetur minus malum: ſed electio illa, quæ bona eſt. (ut n. 15. explicuimus.) Ad 3. negandum eſt antecedens, quando illud non petitur abſolute, ſed poſita determinatione voto illud non petitur abſolute, ſed poſita determinatione voto illud non petitur abſolute, ſed poſita determinatione voluntatis ad majus malum: a quo aliter revocari nequit. Ad 4. fateor non tantum poſſe, ſed revera eſſe præceptum de minori malo eligendo, (ut num. 15. probavimus) non abſolute, ſed ex ſuppoſitione determinationis voluntatis ad majus malum: hoc enim non eſt teneri ad minus malum, ſed ad potius retrahendum ſe a majori: ſicut quando conſulitur minus malum, non eſt revera conſilium minoris mali, ſed antepoſitionis illius minoris mali majori, quod admittere voluntas decreverat. Ad 5. negandum eſt eſſe ſimile, quia prælectio illam minoris mali, ut bona ſit, debet ſuadere mediis proportionatis, quæ juſtitiam nullius violent: quale non eſt, dum conſulitur minus dampnum alicujus tertii in particulari, ut n. 24. explicui. Ad ultimum dic negandum eſſe antecedens. Quia conſulens non eſt vere cauſa illius minoris damni, ſed bonæ prælectionis quam ſuadet.

DISPUTATIO XII.

Quid ſit raptus: quæve ejus pœnæ, attento jure antiquo & qualiter attento eodem jure, matrimonio ineundo impedimentum ſit?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputentur, num. 1.
Quæ ſint attento jure antiquo, raptorum pœnæ: & an ſit excommunicatio: & hæc verba, Anathema ſit, ſint excommunicationis latæ, an ferendæ? 2.
Quot conditiones deſiderentur ad raptum, ut pœnis juris communis ſubjaceat. 3.
An ſat ſit eſſe contra voluntatem puellæ, aut parentum? 4.
An ſufficiat puellam videre homines ad metum inferendum paratos? 5.
Num ſit raptus, ſi femina ſui juris conſentiat, quamvis aliis impedientibus vis inferatur? 6.
An ſatis, initio, vel poſt feminam conſentire? 7.
Quid, ſi parentes conſentiant, aut mulier diſſentiat? 8.
An præſumatur contraria voluntas puellæ conſentientis, ne ſit raptus? 9.
An ſit raptus, quando femina importunis precibus abducitur? 10.
Quid, ſi pretio aut dolo abducatur, 11.
Quid ſi parentibus contradicentibus femina conſentiat? & pœna debet commenſurari delicto, 12.
Quid, quando parentes ignorabant? 13.
Quid de tutoribus vel fratribus, ſub quorum cuſtodia eſt? 14.
Quid, ſi raptum præceſſerat tractatus de matrim. ineundo? & enodatur c. penult. de raptorib. num. 15.
An raptor raptam ducens, vitet raptorum pœnas? 16.
An deſideretur ut cauſa libidinis raptus ſit? 17.
An opus ſit, carnis commixtionem ſubſequi? 18.
An raptus attentatus, & generaliter quod cumque crimen, ſubjaceat ejuſdem delicti pœnis? 19.
An deſideretur traductio de loco ad locum? 20.
Qualis debeat eſſe hæc traductio? 21.
An ſolius feminæ honeſtæ ſit raptus, cujuſcumque ſit ſtatus? 22.
Quid, ſi meretrix rapiatur? 23.
Poſt num. 23. *inveniès alia ſummaria.*

1 DIſputatio de impedimento raptus deſiderat neceſſario præmitti, tanquam valde difficile, quid raptus ſit. Atque ut explicetur decretum *Trid. ſeſſ.* 24. *de matr. c.* 6. quod de raptu verba facit, graviſſimas pœnas decernens, quarum cognitio ad conſcientiæ forum valde conducit, neceſſarium eſt aliqua præmitti de pœnis jure civili aut canonico antiquo ſtatutis per raptores incurrendis, quod breviter percurram, parum enim ad forum conſcientiæ refert. Tres igitur diſp. de raptu inſtituam. Præſens, quid raptus ſit, & quibus pœnis addictus attento jure antiquo, & qualiter eo attento matr. impediat, diſputabit. Sequens, qualiter attento Tridentini decreto, matr. impediat, & quando ejus pœnis obnoxius ſit. Ultima, an ſtuprum ſine raptu contingere poſſit, ita ut peculiarem luxuriæ ſpeciem neceſſario confitendam conſtituat: ut ſi invitis parentibus virgo ſui corporis copiam faciat. In præſenti ergo diſp. 5. quæſtiones agitandæ ſunt. I. Quid raptus ſit, quæve conditiones exigat, ut pœnis juris antiqui ſubjaceat. II. An eiſdem pœnis ſubdatur femina rapiens virum, aut aliam feminam? III. An rapta nubens raptori, amittat ipſius raptoris bona, quæ ob raptus injuriam lex civilis ſibi deferebat? IV. Quid raptus ſit quod attinet ad forum conſcientiæ, & ut conſtituat ſpeciem luxuriæ neceſſario in confeſſione exprimendam? V. Qualiter raptus attento jure antiquo impediat ac dirimat matrimonium?

2 Quæſtio I. Quid raptus ſit, quæve conditiones exigat, ut pœnis juris antiqui ſubjaceat? Præmittendum eſt *l un. C. de rapiu virg. & l. reg. 3. t. 20. p. 7.* raptoribus mulieris honeſtæ ſtatutam eſſe mortis pœnam, & ut bona raptoris, & opem ei ferentium, ſtatim ad raptæ dominium tranſeant. Inſuper excommunicationis pœna raptor cum ei faventibus punitur, *cap. Si quis virginem 36. q. 2.* quod eſt *Greg. 2. in Synod. Rom.* ibi: *Si quis virginem vel viduam (niſi deſponſaverit) rapuerit, cum ſibi faventibus, anathema ſit.* Quam eſſe excommunicationem latam affirmant *Mart. de Magiſtris tractatu de temperantia, qu. de raptu concl. 6.* & aliqui alii. Et videtur tenere, *Petr. Greg. Syntagmate juris p. 3. l. 36. c 8. n. 7.* ubi ait eſſe excommunicationem adverſus raptores, & allegat *d. c. Si quis virginem.* Quod ſuadent verba illa, *anathema ſit*: quæ canonem latæ ſentent. important: ut docent *Felin. c. Rodulphus, n. 33. de reſcript.* & multos alios referens *Tiraq. l. Si unquam, verb. Revertatur, fallentia 60. n 180. C. de revoc. donat.* Et in ſimili dicit *Abb. c. 2. in fine de foro compet.* ubi ait hæc verba, Excommunicatus ſit, eſſe latæ ſententiæ. Ceterum verius eſt non eſſe latam ſed ferendam ſententiam. Quod, Anathema ſit, ſententiam ferendam importet, nulla addita particula ad latam trahenti, ut teſtatur *Bald. c. At ſi clerici, n. 20. de judiciis.* Et clare *gloſſ. c 2. de foro compet.* ubi in fine, cum textus ille dicat, *Sit ſequeſtratus*, explicat *per ſententiam, ſicut 30. dict. quaſi per totam*, in qua fere in omnibus textibus dicitur, ſit anathema, ac proinde clare ſentit gloſſa ea verba, Anathema ſit, deſiderare ſententiam, ac proinde non contínere latam excommunicationem. Quod idem non obſcure ſignificat *Turrecrem. ea d. 30. c. 1. in fin.* ubi quærens an textus illius diſtinctionis contineat latam ſententiam, in quibus dicitur, Anathema ſit: reſpondet contentos in illis, eſſe ipſo jure excommunicatos, quia ſunt hæretici, ubi clare ſentit non virtute illorum verborum, ſed quia hæretici ſunt, eos incurrere excommunicationem. Præterea, quia etſo ea verba, Anathema ſit, excommunicatus ſit, importarent latam ſententiam: at id intelligendum venit, niſi proferatur in materia, in qua ex aliis textibus conſtat non inferri ipſo jure excommunicationem, ſed exigi ſententiam. Ita docent *Abbas c. 2. in fine, de foro comp. t. & ibi ejus Additionator. Felin. d. c. Rodulphus, n. 33. & de dicto. Tiraq. d. l. Si unquam, verb. Revertatur, n. 183.* At conſtat ex eadem cauſa *36. q. 2. c. 1. & c. De puellis*, raptores non eſſe excommunicatos, ſed excommunicandos: dicitur enim ibi, *Anathematizentur*, quod verbum cum ſit futuri temporis, importat excommunicationem ferendam, ut latiſſime *Tiraquel. d. l. Si unquam verb. Revertatur, n. 39. & ſeq.* Atque ita non eſſe latam excommunicationem, ſed ferendam in raptores, clare colligitur ex *Goffredo ſum. tit. de raptoribus, n. 8. Hoſtien. ſum. t. de pœnis rapt. corporis, n. 1. verſ. Canones autem. Bertachino in ſuo repertorio, lit. R. verb. Raptor mulieris, Sylveſt. verb. Luxuria, q. 6. dicto 1.* ubi dicunt raptores debere excommunicari: ſentiunt ergo non eſſe ipſo jure excommunicatos. Et in propriis terminis docent *Majoris 4. d. 29. q. 2. ad ſin. Cajet. 2. 2. q. 154. a. 7. in ſolut. ad 3 dubium. Veracruz appendice ad ſpeculum*, ubi de raptu, *f. 83. §. Sed tamen ſatue. Pet. de Ledeſ. de matr. q. 50. a. un. dub. 2.* unde ea verba *d. c. Si quis virginem, anathema ſit*, explicat *Cajet.* id eſt, anathema ſiat.

Hoc præmiſſo, ſit I. Concluſio. Ad raptum pœnis juris ſubjectum, quadruplex conditio deſideratur. I. eſt ut adſit violentia. II. ut raptus fiat cauſa libidinis. III. ut ſit traductio de loco ad locum. IV. ut mulier rapta ſit honeſtæ vitæ. Quæ omnes conſtabunt ex corollariis inde a num. 6. inferendis: ubi & DD. referam. 3

II. Concluſio. Ad raptum ſufficit violentiam illam vel ipſi feminæ raptæ, vel parentibus aut tutoribus inferri. Quia probabo num. 8. 12. & duplici ſeq. 4

Non tamen deſiderator expreſſe metum inferri, ut raptus ſit: ſed ſatis erit, quovis modo adſit metus violentiæ: ut ſi puella inſpiciat homines armis munitos, ad eam renitentem cogendam. Et conſtat ex dictis lib. 4. diſp. 5. n. 5. ubi probavimus metum armorum cadere in virum conſtantem, licet ea portans minime illis uſus ſit. Et ita tenent *Decianus tract. crim. l. 8. c. 7. n. 6. Azebedo lib. 8. recop. tit. 13 l. 2. n. 45.* 5

Hinc 1. deducitur, non eſſe audiendos DD. quoſdam aſſerentes eſſe raptum, quando puella etiam ſub nullius poteſtate conſtituta, volens abducitur. Hi ſunt *Abbas c. penu. n. 4. de raptor. & ibi Anan. n. 4. verſ. In gl. 2. & Aegel. l. un. 5. C. de raptu virg. Paulus l. pen. n. 2. C. de Epiſc. & Cler.* ubi *Alberic. n. 7. & d. un. n. 2. oppoſit. 3. Ant. d. c. pen. n. 8. Boſſius tract. tit. de raptu mulierum, n. 16. Bonifacius de Vitalinis tract. de maleficiis tit. de raptoribus. n. 2. Gothofred. l. un verb. Pœna raptus, C. de raptu, C. de raptu virg.* Ducuntur, *Abb. Ananias, & Boſſius* quod *l. unic.* expreſſe dicatur, ſive volenti ſive nolenti feminam raptum admitti: ſemper enim decepta præſumitur. Deinde quod femina dominium corporis ſui non habeat, ut membra ſua raptui exponat. *l. Liber homo, ff. ad l. Aquiliam & c. Significavit, de corp. vitiatis.* Alii vero DD. ſoli priori rationi inniuntur. At merito ab his DD. recedendum eſt. Quod rapere importet cum vi & impetu auferre, ut conſtat ex *l 3. verſ. Non ſolum, ff. de incendio, ruina*, ibi: *Aliud autem eſſe rapi, aliud amoveri palam eſt. Siquidem amoveri aliquid etiam ſine vi poteſt. Rapi. autem ſine vi non poteſt.* Prætera, quia ſcienti & volenti non fit injuria nec dolus, *l. Nemo videtur, ff. de reg. jur.* quare *D. Th.* (quem omnes Theol. ſequuntur, & fere omnes Juriſperiti) *2. 2. q. 154. a. 7.* pro conſtanti docet, ad raptum violentiam deſiderari. Nec credo Doctores allegatos præter *Abb. Ann. & Boſſium* oppoſitum ſentire: inniti enim præſumptioni voluntatis feminæ dolis extortæ, ſicut & *d. l. unica*, unde quando conſtaret voluntatem ſpontaneam adfuiſſe, in neutro foro raptus judicabitur: nec ratio Abbatis & ſequacium aliquid probat. Quamvis enim mulier non ſit ſui corporis domina, ita ut licite poſſit raptui exponere, eſt tamen ad eum ſenſum domina, ut poſſit connivere abſque ullo injuſtitiæ crimine in altero: atque ita ipſa conſentiente ceſſabit raptus, qui violentiam juſtitiæ contrariam poſtulat. Atque ideo hanc partem tuentur, *gl. c. penult. verb. Conſentit. de raptor. Abulenſ. c. 5. Matth. q. 203. Hippolyt. l. un. num. 16. C. de raptu virg. Navar. l. 5. conſ. de raptor. utraque editione, conſ. 1. num. un. Carrerius practica criminali*, ubi de raptu, §. *Secundo caſu principali, n. 7. Decianus tractatu criminali l. 8. c. 7. nu. 19. Majſardus de probat. concl. 1259. n. 29. Peguera deciſ. crim. c 43. nu. 8. Ant. Cucus l. 5. inſtit. majorum, t. 12. n. 120. Veracruz appendice ad Speculum*, ubi de raptu *fol. 82. §. Conſequenter etiam, Azzebedo l. 8. recop. tit. 13. l. 2. n. 58. Vela de pœnis delictorum, c. 2. §. Uno autem caſu.* Adde cum *Deciano & Azebedo eiſdem locis*, adhuc in eo caſu, quo femina ſui juris vult, non eſſe raptum, quamvis eam abducens viris armatis comitatus adiret, ne aliquis impedimento ſibi eſſent. Quia nec feminæ, nec alicui, ſub cujus cura & cuſtodia ſit, vis inferenda: qualis ad raptum deſideratur.

7 2. Infertur, quid dicendum ſit, ſi puella abductioni conniveat, poſtea vero renitens cognita ſit? Vel e contra, abductioni reſiſtat, mox autem abducta copulæ annuat? Et quidem quando femina initio voluit abductionem, poſtea vero copulæ reſiſtit: *Guido de Suſa relatus ab Alberico l. pen. n. 6. C. de Epiſc. & cler. & Gandinus de maleficiis, t. de multis quæſtionib. dependentibus a ſtatutis, n. 21. Alberic. d. un. n. 16. C. de raptu virg.* negant eſſe raptum. Quia cum raptus abductionem violentam petat, ubi ea deficit, non erit raptus, ſed copula vi extorta. Juxta ea quæ n. 20. dicumus. Deinde quod in his ſpectetur initium, *l. Divus 14. ff. ad l Juliam de ſicariis*, ibi, *In maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus.* Nec audiendus eſt *Albericus ea l. penult. nu. 7.* hoc reprobans. Quia loquitur juxta ſuam ſent. nimirum ut ſit raptus licet femina ſemper velit, quam n. præced. impugnavi. Hinc rurſus infertur, quando e contra femina initio abductioni reſiſtit, ac poſt modum copulæ annuit eſſe raptum, quod initum, ſpectandum ſit, in quo violentia interfuit. Sic idem & *Carrerius practica criminali* ubi de raptu; §. *Secundo caſu principali, n. 10. Peguera deciſionib. crimin. c. 43. nu. 7. Guido ſingulari 569. n. 1.* Credo tamen in hoc eventu, ſi vere probaretur is conſenſus feminæ in ſua plena libertate politæ, liberandum fore raptorem a pœna ordinaria raptus, quod is conſummatus minime ſit: petit enim ad ſui conſummationem & violentiam copulam: ſaltem ex parte voluntatis raptoris, qui fecit quod potuit (ut n. 18. dicemus.) Sic docent *Decian. tr. crim. lib. 9. c. 7. n. 38. & 24. Azebedo lib. 8. recop. tit. 13. l. 2. n. 7.*

8 3. Infertur, eſſe vere raptum femina diſſentiente, quamvis ejus parentes conſentiant abductioni. Quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud ei uſui exponendi abſque injuſtitiæ labe, ob injuriam puellæ irrogatam, ſic *Hoſtien. ſum. tit. de pœnis raptorum corporum, nu. 1. verſ. Dicitur ergo raptor. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. Gerſon. 4. par. Jer. ult. domin. 2. advent. alphab. 22. lib. T. D. Ant. 2. p. t. 5. c. 2. num. in princ. Roſell. verb. Luxuria, init.* ubi *Sylveſt. q. 1. verſ. Raptus vero. Turrec. c. Raptus 36. q. 1. n. 3. Veracruz append. ad Specul.* ubi de raptu, *fol. 82. §. Conſequenter etiam. Palacios 4. diſt. 34. diſp. 2. col. 12. verſ. Eſt aliud. Toledo lib. 5. ſum. c. 12. num. 7. Navar. ſum. c. 16. n. 3. Navarra l. 2. de reſtit. c. 3. p. 4.* ubi de lædente in ceteris corporis bonis, *in nova edit. dub. 1. n. 418. Valentia 2. 2. diſp. 94. q. 3. punct. 3. col. 7. §. Raptus.*

9 4. Infertur intellectus ad *l un. §. Et ſi quidem, verſ. Penas autem C. de raptu virg.* quæ decidit raptum admitti, ſive mulier velit ſive nolit. Intelligenda enim eſt, ut procedat ex præſumptione quadam, præſumit quippe vim inferti illi importunis ac doloſis ſuaſionibus, ut conſtat ex illis verbis, quæ reddens hujus rationem ſubjungit, ibi: *Quia hoc ipſum velle mulierem ab inſidiis nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Niſi etenim eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.* Et ita docent *Salicet. ea l. un. n. 29. & 30. Ruin. conſ. 122. nu. 5. vol. 4. Decian. tr. crim. lib. 8. c. 7. n. 19. Azebedo l. 8. recop. t. 13. l. 2. n. 55. Cantera crim. qu. tangentib. punitionem delicti t. c. 4. n. 20.* Nec placeat alia expoſitio, quam tradunt *Hippol. ea l. un. n. 16. Decian. eo c. 7. n. 7.* dicentes eam l. unicam conſiderare violentiam, parentibus non conniventibus raptui, illatam, atque illorum intuitu appellare raptum, quando puella conſentit. Sed non placet, quia textus ille expreſſe non expendit parentum contradictionem, ſed voluntatem feminæ non omnino liberam. Ut clare conſtat ex ratione ibi ſubjuncta, nuper allegata. 10

5. Infertur temperandos eſſe DD. aſſerentes eſſe raptum, quando femina ſui juris, importunis precibus abducetur. Quaſi violenta ſit extractio, eo quod importunæ preces vim inferant. Quod ſuadet *leg. 3. verſ. Si quis volentem, ff. de libero hom. exhibendo*, ubi ſollicitationib. detentus, dicitur vi ac dolo retineri. Et *l. 1. §. Perſuadere, ff. de ſervo corrupto*, ibi: *Perſuadere autem eſt plus quam compelli, & l. 1. t. 9. p. 7.* ibi: *Como en manera de fuerça, y ſon ſacar; y falagar.* Et probat etiam *l. un. §. Et ſi quidem, verſ. Penas autem, C. de raptu virg.* Et ita docent *Gloſſa ea leg. un. verb. Ipſum velle, & ibi Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. II.

Bald. num. 20. Navar. l. 5. conſ. tit. de raptoribus conſil. 1. nu. un. Carrerius practi. crim. ubi de raptu, §. *Secundo caſu principali, n. 4. Peguera deciſionib. crimin. cap. 43. n. 3. Vela de pœnis delictorum c. 2. §. Ex quibus apparet.* Sed temperandi ſunt, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur. Cum enim raptus vim deſideret, non ſufficiunt quæcumque preces importunæ, non etenim omnes eæ vim inferunt: ſut lacetius declaravimus l. 4. diſp. 7. num. 5. & ſeqq. ubi textibus in contrarium allegatis reſpondi.) Sed quando aliæ circumſtantiæ cum illis concurrunt, ut maximus reverentiæ timor, ita ut perſonæ ſic inſtanti non audeat puella contradicere. Atque proinde quando ſolæ preces importunæ interveniunt, non eſſe raptum dictis pœnis obnoxium, ſed cuidam extraordinario ſupplicio; docent *Hipol. d. l. un. num. 14. Decian. tract. crim. lib. 8. cap. 7. num. ... ad finem.*

7. Intertur ad pœnas *l un. C. de raptu virg.* raptoribus ſtatu- 11
tas incurrendas, ſatis eſſe, ſi doloſis perſuaſionibus, aut quibuſcumque fraudibus circumventa mulier abducatur. Conſtat ex *ea l. un. §. Et ſi quidem, verſic. Pœnas autem*, ibi: *Niſi odioſis artibus circumvenerit.* Ubi decidens textus, quare raptor teminæ volentis pœnis ibi ſtatutis plectendus ſit, rationem reddit, quod conſentus ille doloſis artibus extortus præſumatur. Ergo quoties conſtat dolum adeſſe, incurrentur hæ pœnæ. Et ita tenent *Dynus regul. Scienti. 27. num. 3. & 4. de regul. juris, in 6. Angelus auth. de leno. §. ſi. in fi. Salicet. d. leg. unic. num. 29.* ubi *Hippolyt. num. 15. Decianus tract. criminali, lib. 8. cap. 7. num. 8. Berber. in viatorio juris, tit. de raptorib. poſt medium. Majſardus de probat. concluſ. 1259. num. 30. Cantera queſt. crim. queſt. tangentib. punitionem delicti, cap. 4. num. 23.* Unde dum hi DD. dicunt eſſe raptum, ſi femina donis tibi promiſſis extrahatur, intelligendi ſunt, ſi in promiſſione dolus interveniat, ut quia animo defraudandi, montes aureos (ut vulgo fertur) quis promiſit: ſecus ſi pretio convenit cum ipſa, abſque dolo, ita *Decian. eo. num. 8.* Nec placet limitatio *Julii Clar. lib. 5. receptarum. §. Raptus num. 3. & Azebedo lib. 8. recop. tit. 13. lib. 2. num. 42.* ubi hoc temperant, quando verbis fallacibus abducitur mulier, ut contra luorum voluntatem; in alio loco retineatur. Sed non placet quod *d. lex un.* non conſiderarit eo loco diſſentium ſuorum; ut num. 9. diximus) quando enim parentes abductioni feminæ renituntur, nil refert an femina decepta ſit, necne: erit etenim raptus, quamvis ipſa conſentiat, ut num. ſequenti dicemus.

7. Infertur, eſſe raptum, quando puella ſub parentum 12
cuſtodia conſtituta, ex eorum domo ipſis invitis abducitur, quamvis ipſa conſentiat: quippe injuria maxima parentibus irrogatur, quam ipſa remittere nequit, ſponte ſua abductioni conſenſum præbens, *l. 2. verſ. Uſque adeo, ff. de injuriis.* Et notant *gloſſa cap. Contingit, el 1. de ſent. excom. verb. Injuriaſa*, in quodam ſimili, nimirum, in clerico cujus conſentus ut in ipſum manus injiciantur, non liberat injicientem a ſententia excommunicationis, ut decidit ille textus: quod poſſit clericus aſſenſum injuriæ præbere, quatenus ſuæ perſonæ offenſa eſt, non tamen quatenus eſt ſtatus clericalis injuria. Atque ita docent *Hoſt. ſumma tit. De pœnis raptorum corporum, num. 1. verſ. Dicitur ergo raptor. Abbas cap. penult. num. 4. de raptor. & ibi Ananias, num. 4. verſ. In gl. 2.* Idem tenent *Hyppol. l. un. num. 19. Cod. de raptu virg. Roſell. verb. Luxuria, initio*, ubi *Sylveſt. q. 6. dicto 2. Barbatius conſ. ult. num. 1. vol. 2. Matheſilanus notab. 100.* quem refert & ſequitur *Bermondus Chaver de publicis concubinariis*, ubi de ſtupro, *nu. 29.* (habetur *t. 11. tractatuum, p. 1.*) *Carrerius practic. crim.* ubi de raptu §. *ſecundo caſu principali, n. 7. Boſſius practi. crim. tit. de raptu mulieris, num. 16. Jul. Clarus lib. 5. receptarum, §. Raptus, num. 3. Decian. tr. crim. l. 8. cap. 7. n. 21. Perez lib. 8. ordinamenti, c. 15. rub. f. 278. ad ſi. Azebedo lib. 8. recop. 2 13. l. 2. n. 41. & 42. Peguera deciſion. crim. c. 43. n. 6. Salzedo practica Bernardi Diaz, cap. 78. in poſteriori editio. in fi. Majcard. de probat. concl. 1259. num. 29. Cantera q. crim. q. tangentib. punitionem delicti, c. 4. num. 20. Petr. Greg. Syntagmate juris, p. 3. l. 36. c. 8. n. 4. Vela de pœnis delictorum, c. 2. §. 6. Unde ſi femina Zavallo q. practicis q. 596. n. 33.* & multi alii fatentur eſſe raptum verum, quamvis de pœnis juris non agant, quos num. 35. referam. Quamvis autem *Peguera eod. c. 43. n. 3. & Zavallos nuper citatus* velint hunc raptorem ſubdi ordinariis pœnis raptus, ac *Perez* dicat pœna capitali plectendum eſſe: at verius eſt ſolam extraordinariam pœnam infligendam eſſe, quod pœna commenſurari delicto debeat, *c. Non afferamus, 24. q. 1. auth. Ut patrum filii ſuccedant, §. Quia vero.* At longe minus delictum eſt tunc, quam ſi femina quoque diſſentiret, cum ſit reſpectu ſolius patris raptus; eo vel maxime, quod in his injuriis voluntas feminæ, cui directe injuria violentiæ irrogatur, ſpectanda ſit. Non ergo pœna ordinaria raptus, ſed alia arbitrio judicis imponenda eſt. Quod docent *Decian. Boſſius n. 7. Cantera, Azebedo n. 56. nuper allegati.*

Imo erit quoque raptus, quando parentibus ignorantibus 13
virgo conſentiens ſub illorum cura exiſtens abducta eſt. Quamvis enim tunc non interveniat ipſorum contradictio poſitiva, eſt tamen voluntatis ipſorum detectus, qui nolitio appellatur, quod ſatis eſt ut de injuria ſibi ipſis illata juſtam querelam concipiant. Sic *Abbas, Ananias, Boſſius num. 16. Peguera nu. 6.* quos num. præcedenti retuli. At non ſubdetur pœnis ordinariis raptus. Quippe non eſt proprie raptus (ut n. 36. probavimus.)

mus.) Et ita docet *Enriq. l. 12. matr. cap. 14. num. 5.* & hunc non subdi pœnis statutis raptui in Tridentino tenent alii, quos disp sequenti num. 12. referam. Nec tanta pœna infligenda est, ac si parentes expresse abductioni resisterent. Tunc enim gravius delinqueretur.

14 Idem dicendum est, quando puella sub tutorum potestate, aut mariti constituta, ex eorum domo absque ipsorum voluntate consentiens abduceretur. Habentur enim loco parentum. Ita *Carrerius, Mascard. Perez, ubi n. 11. eos retulit.* Addit bene *Perez* idem sentiendum esse, si femina sub fratrum custodia esset. Cum tamen minus sit delictum, quando sub fratrum custodia est, minor erit pœna.

15 Sunt tamen hæc limitanda, nisi præcessisset tractatus de matr. ineundo. Tunc enim si puella volens, quantumvis reclamantibus parentibus a sponso extrahatur, non subditur raptus hic pœnis juris civilis: quod corrigitur in hoc per jus canonicum quod in hoc servandum est. Constat ex *cap. pen. de raptor.* ibi: *Cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur, ille raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit: licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.* Per quod corrigitur *l. un. ad medium, princ. C. de raptu virg.* ibi, *Quoties cornuneramus eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* Quam *l. Regia 3. t. 20. p. 7.* explicat de raptu sponsæ de futuro: ut bene advertit *Greg. Lopez, verb. Suæ posa.* At corrigitur per *d. c. pen.* quod raptum punirі non permitti tactum pro ineundo matr. quando præcessere sponsalia de futuro. Et loqui eum rextum etiam quando sola hæc sponsalia præcessere, inde constat. Quod dicat: *Ubi nil ante de nuptiis agitur*: quando etenim sponsalia præcedunt, jam verum est, aliquid de nuptiis actum esse. Atque ita docent *Abbas ibi n. 1. notab. 1.* & *n. 4. Ananias n. 4. vers. in gl. 2.* ita intelligentes *gloss. ibi, verb. Admitti*, quæ docet non esse raptum, quando puella consentit, ut intelligatur si præcessit tractatus de matr. contrahendo. Ita tenent *Corneus cons. 80. n. 7.* & *8. vol. 2. Barb. cons. ult. n. 1. vol. 2. Carrer. præd. crim.* ubi de raptu, §. *Hinc nata occasione, aliqua de raptu disseramus, n. 26. Bossius præd. t. De raptu mulieris nu. 17. Decianus tract. crim. l. 8. c. 13. n. 47.* Idem videtur clare tenere *Figuerius l. Instit. c. 7. §. 4. vers.* 5. ubi ait non esse raptum, si sponsa inexime de præsenti abducatur. Et favet. aliqui, qui generaliter hoc docent, quando tractatus aliquis de matrim. præcessit. Hi sunt, *Rosella verb. Luxuria, n. 1.* ubi *Sylvest. q. 8. dist. 2. Angel. verb. Raptor, n. 3.* & *ib. Tabiena n. 2. q. 1. Vela de pœnis delict. c. 29. §. Unde si.* Aliqui volunt, ut non sit longus pœnis raptus, juxta decisionem *d. c. penultimi*, desiderari tres conditiones, I. ut puella abductioni consenserit. II. ut præcesserint sponsalia. III. ut matr. subsecutum sit. Sed bene *Bossius* & *Decian.* proxime allegati cum aliis quos referunt, solas duas priores conditiones necessarias esse affirmant. Quod *text. d. c. pen.* solas eas exegerit, & dum de matr. subsecuto mentionem fecit, id fuit ad eum finem, ut revocetur conjux a monasterio, quod post matr. consummationem ingredi nequit. Id tamen cum *Corneo proxime alleg.* asserendum est, nempe, non sufficere actum esse de nuptiis contrahendis, si non sit jam præstitus consensus de matr. ineundo, ac is tractatus concludus. Verba enim illa *d. c. pen. Ubi nil ante de nuptiis agitur*, sunt cum affectu accipienda. Quod ex tunc jam habeat aliquale jus raptor in raptam: nullum enim habet, dum sponsalia non sunt communi placito inita.

16 Quinimo quamvis nullus matr. ineundi tractatus præcesserit, eo postea subsecuto, est valde rationi consentaneum, praxique receptum, ne ordinarius raptus pœnis raptor plectatur, sed mitioribus arbitrio judicis. Quod docent *Paulus l. pen. num. 5. C. de Episcopis & cleric.* dicens Mantuæ raptorem quemdam mortis pœnam evasisse, quod raptam duxerit. *Bossius præd. crim tit. de raptu mulieris, n. 17. Decian. tr. crim. l. 8. c. 13. n. 48. Peguera qu. criminal. c. 42 pn.* (qui omnino videndus est, late enim hanc quæst. discutit.) Et consentit *Ant. Gom. aliis citatis, l. 80. Tauri, n. 43. ad fin.* Hispania, propter *leg. reg. 22. t. 1. p. 7.* quæ vult, concordia inita inter partes, non imponendam esse pœnam corporalem delicto tutatum: quamvis, jure communi attento, fecus esse dicat. Quamvis non desint alii, qui hunc raptorem a pœna mortis minime eximant: inter quos est *Greg. Lopez l. 3. verb. Casasse, t. 20. p. 2.* adducens forsan nec esse justam legem id disponentem: eo quod ad peccandum invitaret. Et dubius manet, nihilque definit de pœna mortis, *Jul. Clarus l. 5. recept. §. Raptus, n. 8. fine.* Nec est opus, ut raptor hic pœnam ordinariam evadat, parentibus conventibus initum esse matrimonium, ut bene tuetur *ibidem Decianus* contra Paulum & Pegueram proxime allegatos.

17 8. Infertur non esse raptum his pœnis obnoxium, si non causa libidinis explendæ fiat, sed alia quacumque. Quod constat, nam raptus proprie est luxuriæ species, teste *D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 7.* Et ita *D. Isidor. l. 5. Ety. c. 26.* & refertur *c. 1. 36. q. 1.* raptum, dixit esse illicitum coitum a corrumpendo dictum, raptuque potirentem, stupro frui. Atque ita docent *Decius cons. 234. n. 8. vol. 2. Carrerius præd. crim.* ubi de rapta, §. *Secundo casu princ. n. 12. Bossius præd. crim. t. De raptu mulieris, n. 17. Jul. Clarus, l. 5. receptar. §. Raptus, n. 1. Decian. tr. crim. l. 8. c. 7. n. 38. Cantera q. crimin. q. tangentib. punition. delicti, c. 4. n. 22. Peguera dec. crim. c. 42. n. 7. Azebedo lib. 8. recop. t. 13. l. 2. n. 91. Vela de pœnis delict. c. 29.*

18 Dubitabis autem, num desideretur ad raptus pœnas, copulam subsecutam esse? Affirmant quidam, quod colligunt ex *l. un. C. de raptu virg. paulo post principium*, ibi, *Cum virginitatis vel castitas corrupta restitui non possit.* Item, quia pœnæ illius legis eo tendunt, ut copula vitetur. Ita *Ananias* testans ita judicatum Bononiæ, *c. pen. in fine, de raptor. Cepola cons. 57. col. 2. Decius cons. 234. n. 8. vol. 2. Bocrius dec. 316. n. 4. Rimin. cons. 371. num. 19. vol. 5. Perez l. 8. ord. t. 15. rub. f. 279. §. Quæritur, quis rapuit virginem?* & addit hoc esse verum, sive raptor se a copula abstinuerit, quia noluit, sive quia non potuit. Alii tenent contrarium. Ita *Baldus l. Si quis non dicam rapere, in fin. C. de Episc. & cler. Paulus l. pen. n. 5. C. eodem tit. Bossius præd. t. de raptu mulieris num. 8. Greg. Lop. l. 3. tit. 20. p. 7. verb. O jaziendo*, per illam l. ibi: *Robando, o jaziendo.* Et illa ducti tenent idem *Zavallus q. practic. q. 596. n. 28. Cantera q. crim. q. tangentib. punitionem delicti, c. 4. n. 20. n. 22.* ubi addit, sive raptor potuerit habere copulam, & noluerit, sive non potuerit, locum esse pœnis raptus. Sed placet distinctio communis DD. ut si raptor a copula se abstinuerit, pœnitentia ductus, & nolens habere, quamvis potuerit, non sit ordinariis raptus pœnis obnoxius, sed extraordinariis: secus si copula subsecuta non fuerit, quod ad eam pervenire non potuit: Sic docent *Hippolitus* late probans *d. l. un. n. 253. Barmond. Chovar de publicis concubinariis*, ubi de stupro, *nu. 32. fi.* & *seq. Carrerius præd. crim.* ubi de raptu, §. *Secundo casu principali nu. 8. fi. Jul. Clarus l. 5. recept. §. Rapt. n. 4. Covar. cfem. Si furiosus, de homic. 2. p. tit. n. 8. Ant. Gom. l. 80. Tauri n. 40. Decian. tr. crim. l. 8. c. 7. num. 38. Menoch. de arbit. l. 2. centur. 4. casu 360. nu. 32. Mascard. de probat. conclus. 1259. nu. 37. Hier. Gab. cons. 172. n. 2* & *6. vol. 1. Peguera decis. crim. 43. num. 1. Azebedo lib. 8. recop. tit. 13. l. 2. n. 89 Vela de pœnis delictorum, cap. 29. §. Unde dicendum est.* Limitant bene *Cov.* & *Decian.* nisi rapta sit monialis, raptor quippe pœnam ordinariam subdit, quacumque ex causa copula non sit subsecuta.

Ex qua resolutione colligitur decisio illius quæstionis. An, 19
conatus ad rapiendum eo non subsecuto, quia rapiens non potuit, astrictus sit pœnis ordinariis raptus? De qua late consulendi sunt *Menoch. de arbitr. l. 2. centur. 4. casu 360. Zavallos q. prast. tota q. 540.* Sed breviter teneri sic conantem pœnis raptorum: ut si vadat mulieris domum hominibus armatis comitatus ad eam rapiendam, nec eam inveniat, & ideo cesset raptus; docent *gloj. Instit. de vi bon. rapt. in princ. verb. Comprehendatur. Hippol. late probans, l. un. n. 244.* & *seq. C. de rapt. virg. Corsetus in suis notab. verbo Vis Cantera n. 20* ubi citatus est n. præced. Ducuntur, quod in atrocioribus delictis conatus pro facto reputetur, ut notat *Cardinel. clem. Pastoralis, in princ. n. 3. notab. 8. de sent. & re jud.* colligens ex eo textu. At verius est sola pœna extraordinaria puniendum esse eum conatum. Quod probant *Covar. Ant. Gom. n. præced. allegati. Menoch dict. casu 360. n. 33.* & addit bene *Covar.* id esse verum, licet conatus ad rapiendam mulierem adhibitus fuerit, ea non rapta, nec e monasterio abducta.

9. Infertur, desiderari ad raptum ut pœnis juris subjaceat, 20
traductionem de loco ad locum, unde si absque traductione cognoscatur violenter tentata, erit copula vi extorta, non autem raptus, *l. Maritis lenocinium 29. in fi. ff. ad l. Julium, de adul.* ibi: *Eum autem qui per vim stuprum intulerit vel mari, vel feminæ.* Conflat etiam ex *c. Lex illa*, quod est Gelasii Papæ *36. q. 1.* ibi: *Raptum dixit commissum esse, ubi puella de cujus nuptiis nil antea actum fuerat, videatur abducta.* Et ita docent *Bald. l. Sed eximendi, paulo post princ. vers. In gloj. quæ incipit, ff. Ne quis eum qui. Hoss. sum. t. De pœnis rapt. corporum, nu. 1. vers. Dicitur ergo rapt. Alberic. l. un. in fi. C. de raptu virg. Et in suo diction. lit. R. verb. Raptus, & l. 2. de stat. q. 31. n. 1.* & *2 Guido singul. vi 1007. n. 1. Paulus l. pen. nu. 4. C. de Epis.* & *cler. Hippol. singul 65. n. 2. Bertrand. cons. 39 vol. 6. Cuman. cons. 95. num. un. Bonifacius de Vitalinis tract. de malef. t. De adulterio, incestu, & Sodomia, n. 12. Gand. de malef. t. de multis qu. dependentib. a statutis, n. 19. Carrer. præd. crim.* ubi de raptu, §. *Secundo casu principali, n. 1. Navar. l. 5. cons. in utraque edit. t. De raptoribus cons. 1. num. un. Bossius præd. t. De raptu mulieris, n. 3. Jul. Clarus* multis citatis, & dicens esse omnium, *l. 5. recept. §. Raptus, num. 1. Anton. Gom. l. 80. Taur. num. 41. Decian tract. crim. l. 8. c. 7. num. 31. Mascard. de prob. concl 1259. num. 20.* & *23. Perez l. 8. ordinum, tom. 15. rub. fol. 279. §. Quæro quando dicatur raptus. Azebedo lib. 8. recop. t. 13. l. 2. nu. 82. Peguera decis. crim. c. 42. num. 7. Zavallos q. prast. q. 596. num. 3. Bermond. Chover. de publicis concubin.* ubi de stupro, *n. 19. Vela de pœnis delict. cap 29. paulo post princ. Manuel 1. t. sum. 2. edit. cap. 232. nu. 2. Vega 2. t. sum. c. 34 casu 157. notab. 2. Emm. Sa summ. verb. Matrimonium, in princ. nu. 9.* Quare credendum imminet est *Rebuff. l. Marcellus, 9. verb. Rapere, ff. de verb. sign.* & *Cantera q. crim. q. tangentib. punitionem delicti, c. 4. nu. 29.* dicentibus ad raptum non desiderari traductionem de loco ad locum. Quamvis vero absque ea traductione non sit proprie raptus: at plectetur vi cognoscens pœna capitis, & amissionis bonorum, instar veri raptoris, in hoc regno Castellæ. Quod id disponat *l. reg. 3. t. 20. p. 7.* ibi *Jaziendo con alguna del las por fuerca*, & ita observant ibi *Greg. Lopez, verb. O jaziendo. Ant. Gomez d. l. 80. n. 41. Zavallos d. q 596. n. 6.*

Nec qualiscumque traductio de loco ad locum sufficit, sed 21
debet esse ad effectum abducendi, & non gratia commodioris usus & coitus. Id enim non est vere traducere de loco ad locum. Ita *Cuman. Bertrand. Jul. Clarus, Decian. n. 32. Mascard. num. 20. Azebedo n. 83. Peguera, Zavallos, num. 3. Vela* § 5. *cit. n. præc.*

Unde

Unde non satis erit, si puella de una camera in aliam extrahatur. Quod non id fit ad effectum abducendi, sed ad commodiorem coitum. Ita *Bertrand. Jul. Clar. Decian. Azeb. Mascar. n. 21. Peguera, Zevallos ibid.* Nec similiter sufficiet, si rapiatur a via publica, & feorsum abducatur. Quia id est gratia commode coeundi: is etenim actus occultum locum petit. Sic *Cuman. Carrer. n. 2. alleg. nu. præced.* Tandem, nec satis est, si quis puellam in agro repertam, per aliquot passus abducat, ut eam carnaliter cognoscat, quoniam id ad commodius coeundum fit. Sic Bertrandus *Jul. Clar. Mascar. n. 21. Azebed. n. 83.* & *seq.* Imo plus dicit *Decian. dict. n. 32.* non sufficere si de via in campum gratia commodioris usus vehatur. Id tamen monuerim, esse verum raptum, si feminam animo abducendi in alium locum, quispiame loco rapiat, quamvis eam ad locum destinatum minime perduxerit, quod jam sit vera de loco ad locum abductio & animo abducendi facta. Ita docent *Bald. n. præced. alleg.*

22 10. Infertur, raptum pœnis juris subditum petere, ut sit mulierum honestarum. Constat ex *l. un. statum in princip. Cod. de raptu virg.* ibi: *Raptores virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum.* Ubi *gloj. v. Virginum*, & *Hippol. ibi, n. 210.* dicunt particulam illam, Honestarum, determinare etiam sequentia: ita ut in quocumque casu, & in quacumque muliere intelligatur, dummodo sit honesta. Quod etiam clare expressit *l. regia 3. tit. 20. p. 7.* Et constabit amplius ex dicendis n. seq. Si tamen mulier sit honesta, sive virgo, sive nupta, sive vidua, sive soluta sit, erit raptus, ut constat ex *eadem l. unic.* & *ex eadem l. regia, 3.* Et docent *Host. sum. tit. de pœnis raptorum corporum, paulo post princip. Crilland. de pœnis omnifariam coitus, q. 10. n. 1.* (habetur *to. 11. tract. part. 1.*) *Bonifacius de Vitalinis tract. de maleficiis, tit. De raptor. num. 2.* & *tit. De adulterio, incestu, & sodomia, nu. 12. Carrerius præd. crim.* ubi de raptu, §. *Hinc nata occasione, aliqua de raptu disseramus, nu. 1.* & *8. Anton. Gom. l. 80. Tauri, nu. 36. Decianus tract. crimin. l. 8. c. 7. n. 17. Cantera qu. crimin. qu. tangentib. punitionem delicti, c. 4. nu. 20. Azebedo lib. 8. recop. t. 13. l. 2. n. 90.*

23 Tandem infertur, meretricis raptorem non incidere in pœnam *l. unic. C. de raptor. virg.* & *l. reg. 3. t. 20. p. 7.* Quod ad eas pœnas incurrendas desideretur honestas in muliere rapta (ut n. præc. probavi) sed is raptor pœna extraordinaria arbitrio judicis puniendus erit. Constat etiam ex *l. Verum est, 30. ff. de furtis*, ibi: *Verum est, si meretricem alienam ancillam rapuerit quis, non esse furtum.* Atque ita docent *gl. Instit. de publ. judiciis, §. Item l. Julia, v. Viduam, Bart. dict. l. Verum, nu. 3. Angel. l. unic. nu. 3. C. de raptu virg.* & *ibi Hippol. nu. 210.* & ibi omnes, *Covar. 3. variar. c. 14. num. 2. fin. Menoch. de arbit. lib. 2. centur. 3. cas. 291. n. 3. Jul. Clar. lib. 5. recop. §. Raptus, nu. 5.* & omnes Doctores statim allegandi. Quod temperandum est primo, nisi vitæ aute actæ pœnitentia ducta meretrix illa, vitam honestam agere cœpisset: ita ut non sufficiat pœnitentia illa absque honestæ vitæ receptione. Ita *Salicet. d. l. un. n. 3. appos. 1.* & *ibi Hippol. n. 19.* & *seq. Anan. c. fin. n. 3. in fin. de raptor. Berm. Chover. de publicis concub.* ubi de stupro, *n. 22.* & *seq. Grillan. de pœnis omnifariam coitus, q. 10. num. 25.* & *duplex seq.* (utercque habetur *to. 11. Ar par. 1.*) *Carr ar. præd. crim.* ubi de raptu, §. *Hinc nata occasione, aliqua de raptu disseramus, n. 12. Decianus tr. crim. l. 8. c. 7. n. 9. Ant. Gom. l. 80. Tauri, n. 45. Mascard. de probat. concl. 1259. n. 14. Azeb. lib. 8. recop. t. 13. lib. 2. n. 110.* Atque ita intelligendi sunt *Bald. d. l. un. n. 21.* & *ibi Alberic. nu. 10. Cynus n. 3. q. 1. Paulus: l. penul. n. 2. C. de Episc.* & *cleric. Greg. Lop. l. fin. v. Fuerca, t. 19. p. 7. Peguera dec. crim. c. 43. n. 15.* ubi raptorem meretricis pœnis subdunt quando meretrix reintegratur, præteritæ vitæ pœnitentia ducta, volens in posterum ab ea desistere: intelligendi enim sunt, si una cum pœnitentia illa cepisset honestam vitam, alias sola pœnitentia non sufficeret, juxta dicta. Secundum temperandum est, nisi meretrix ea jultam haberet retinendi causam, ut si contradiceret ob consanguinitatem, vel affinitatem cum raptore. Ita *Alberic. Cynus, Paulus, Greg. Lop. Peguera, ibid. Azebed. dict. l. 2. n. 111.* Sed melius *Salicet.* & *Carrer. proxime alleg.* dicunt adhuc non esse locum pœnis raptus, sed incestus. Quia delicit honesta vita in rapta, quæ omnino ad pœnas raptus incurrendas necessaria est, (ut n. præc. probavi.) Tertium temperandum est, nisi meretrix illa esset conjugata. Quia tunc meritо irrogaret injuriam raptor illius meretricis: ac subinde jure optimo raptoris pœnis obnoxius esset. Ita *Paulus, Hippolyt. n. 30. Carrer. Ant. Gom. Decian. n. 14 Mascar. n. 15. Azeb. n. 107. nuper citati.* Quod intellige, nisi maritus esset leno. Tunc enim etiam relpectu ipsius cessaret injuria, Sic *Hippol. nu. 31. Carrer. Decian. Mascar. n. 19. Azebedo ibid.* Atque ita intelligendus est *Ang. dict. l. un. nu. 6.* dicens non esse raptum, quam is meretrix nupta fit. Ac vero dicatur meretrix, seu inhonesta mulier, quæ semel fui corporis copiam fecit, ita ut non sit locus pœnis raptus? confulendi sunt *Decian. eodem c. 7. n. 12.* & *Vela de pœnis delict. c. 26. corol. 4.*

SUMMARIUM.

An eisdem pœnis raptus subdatur mulier rapiens virum, vel aliam feminam? Refertur sent. affirmans, n. 24.
Proponitur contraria Auctoris sententia, 25.
Solvuntur argumenta, 26.
Post num. 26. invenies alia summaria.

Quæstio II. An eisdem pœnis raptus subdatur femina rapiens 24
virum, vel aliam feminam? Quidam affirmant eisdem pœnis raptus obnoxiam esse feminam viri rapticem. Ducuntur primum quod quamvis *l. un. C. de raptu virg.* loquatur de viro rapiente feminam, & similiter *l. reg. 3. t. 20. p. 7.* illi raptui utraque lex pœnam decernat: at cum mulier eadem ratio in femina virum rapiente, ad eum eventum extendenda est. Secundum, quia dum ex leges de viro raptore loquuntur, verba gratia frequentioris, usus posita sunt: quod frequentius id contingat, quam oppositum. Verba autem gratia frequentioris usus posita in lege, eam restringere minime solent, quin ad casum minus frequentem extendantur (ut late probavi *l. 6. disp. 19. n. 10.*) Et multis similibus adductis probat *Tiraq. de retractu lignag. §. 20. gl. un. n. 4.* & *seq.* Tertium, quia textus interdicentes incestuoso debitum petere, ac aliud matr. inire, de solo viro loquuntur. At ad uxorem quoque ejusdem criminis ream extendi, dicemus hoc lib. 7. disp. 15. n. 2. Ergo idem dicendum erit de raptoris, extendi nimirum ad feminam rapticem. Quartum, quia textus statuunt uxoricidium esse matr. ineundi impedimentum, & tamen multi, & non penitendi auctores, extendunt ad viricidium, ut dicemus hoc lib. disp. 16. n. 5. Quintum, quia *d. un. §. Et si quidem, vers. Penat autem*, clare loquitur de malefactis & feminis: & ad finem concludit, *Sed & si quis inter hæc ministeria servilis conditionis fuerit comprehensus, circa sexus discretionem.* Quod si dicas ibi esse sermonem de opem ferentibus raptori, atque æque comprehendi feminas ac maleolos raptui auxiliantes: nil proderit evasio. Quia si femina opem ferens raptui comprehenditur sub illis pœnis: ergo a fortiori femina ipsa raptrix. Quam consequentiam mirum in modum confirmat *cap. 2. de apostatis*, juncta communi doctrina. Nam ibi soli acolytho qui ministerium exhibet sacerdoti rebaptizanti, imponitur irregularitas: & cum nullus alius textus sit ipli sacerdoti rebaptizanti eam statuens, omnes DD. eum textum ad sacerdotem rebaptizantem extendunt, ac asserunt per eum textum esse irregularem. Cujus extensionis rationem optime explicat *Suar. 3. p. q. 71. a. 4. disp. 31. sect. 6.* quod ea irregularitas sit propter necandum ministerium, quod multo magis convenit rebaptizanti, quam ministranti: & quod ea cooperatio non sit in rebus & actionibus distinctis, sed in eadem actione. Quod in præsenti casu prorsus invenitur. Quippe pœnas delinquat femina ipsa rapiens, quam si rapienti opem præstet, ac cooperatio illa & auxilium non sint in actionibus distinctis, sed in eadem. Si ergo femina auxilium raptui præstans incurrit pœnas raptus: ut expresse decernit *dict. leg. un.* a fortiori incurret ipsa femina raptrix. Et tandem, quia quando verba possunt adaptari mulieribus, sicut masculis, & materia potest convenire utrique sexui, masculinum comprehendit femininum etiam in penalibus, & odiosis, juxta doctrinam Bartoli communiter receptam *l. Juxa, in fine, ff. de legib.* Atque ita *Clem. de regul.* statuitur ut Religiosi mendicantes ex Pontificis licentia tranleuntes ad non mendicantes, vocem & locum capitulo minime habeant: & tamen *gl. ibi verb. Quoslibet, in fine, Cardinalis ibi, in princ. q. 7. n. 15. Immola n. 8.* communis, affirmant extendi masculinum ad femininum, ac proinde comprehendi quoque moniales tranleuntes. Ita igitur dicendum erit in præsenti. Et hæc sententia est valde probabilis: & illam sustinent *gloj. dict. l. unica, verb. Sponsam*, & *ibi Bald. n. 23. idem Bald. l. pen. n. 7. C. de Episc.* & *cler.* & *l. Si ita, q. 1. in fine, ff. de injusto, rupto, & irrito facto testam.* & *c. Caufam matr. de probat. in fin.* Et torte esse veram dicunt *Hostien. summ. tit. De pœnis raptorum corporum, nu. 1. vers. Hoc autem de latibus, & Azo summ. tit. de raptu virg. nu. 3.* eamdem sustinent *Ananias c. fin. n. de raptor. Angelus dict. l. un. in fin.* dicens semel se vidisse Florentiæ meretricem comburi, quod puerum retudisset. *Hippolytus dict. l. un. nu. 225.* & *l. Si quis viduam, nu. 6. ff. de qu. Carrerius præd. crim. ubi de raptu, §. Hinc nata occasione, aliqua de raptu disseramus, n. 27.* & *29. Barbatius cons. 64. nu. 12. vol. 1. Petr. de Berma in addit. ad Jac. Butrigan. l. Raptores, col. penul. C. de Episc.* & *cler. Franc. Curtius, & collocutus*, quos refert & sequitur *Tiraq. de retractu lignag. §. 20. gl. unic. n. 4.* ubi *nu. 5.* & *lib. 9. connub. nu. 112.* refert varias terminas virorum raptices, *Lud. Gom. regul. Cancell. de insi-mis resignantibus, q. 6. §. Sed bis non obstantib. Anton. Gom. l. 80. Tauri n. 37. Cantera q. crimin. qu. de tangentibus punitionem delicti c. 4. n. 20. Azeb l. 8. recop. t. 24. l. 2. n. 59. Vela t. de pœnis delict. c. 29. §. Tertio exilla, Enriq. lib. 12. de matr. c. 14. n. 4. Manuel 1. to. sum. 2. edit. c. 232. n. 4. Vega 2. to. sum. c. 34. cas. 157. notab. 5.*

His tamen non obstantibus, verius est minime compre- 25
hendi feminas virorum raptrices, sed alia pœna extraordinaria puniendas esse. Ducor primam, quod solius viri rapientis meminerit *leg. unic. Cod. de raptor. virgin.* nec femininum sub masculino claudatur, maxime in odiosis & pœnalibus, *l. 1. §. Quare, ff. de vent. in possess. mitt.* & *leg. Juxta, ff. de verbor. signific.* Secundum, quod leges non adaptentur iis, quæ raritime contingunt, sed ea sola quæ frequenter accidunt, spectent ac comprehendant, *leg. Non ad ea, ff. de legibus.* At raritimum, & vix auditum est, ut femina virum rapiat. 3. quia *d. l. unic.* & *Et si quidem, vers. Pœnas autem*, ubi pœnas statuit adversus opem ferentes raptui, volens utrumque sexum id efficientem comprehendi, id expressit: & *ad fin. vers. Sed & si quis*, jubens hos auxiliantes, si fervi fint, concremari, neutrius sexus rationem

esse

esse habendam decrevit: quod opem ferre lenocinando, utrique sexui & commune & frequens sit. Sitigitur quando utrumque sexum comprendere voluit, bis expressit: non obscurum judicium est, noluisse eam comprehendi sexum femineum, dum rapturibus eademmet lex pœnas indicet, solius viri rapientis meminit: 4. quia ob eamdem rationem, multi sentiunt viricidium esse impedimentum matrim. quod jura solius uxoris occisionis meminerint, & illud delictum sit rarum: hoc autem frequens, quod auctoribus relatis sequemur hoc lib. disp. 16. num. 6. Quintum, quia cum major honestas desideretur in femina, *l. Si furiosi. C. de Nuptiis*, atrocius delictum est raptus feminæ perpetratus a viro, quam si femina virum rapiat. Multo enim gravior injuria irrogatur honestati feminæ raptæ, quam viri rapti. Quippe nec masculus raptus, nec ejus parentes, ac consanguinei eam injuriam & infamiam patiuntur: ac quando femina rapta est. Quamobrem cum pœna delicto commenturari debeat, *cap. Non afferamus*, 24. *quæst.* 1. par non est pœna raptori feminarum inflicta plecti mulierem viri rapticem. Sextum, quia tunc verba, gratia frequentioris usus posita in lege, extenduntur ad alios casus non ita usitatos, quando in utrisque eadem ratio invenitur, ut late *Tiraq. de retract. lignag.* §. 20. *glos. unic. num.* 6. at in raptu viri a femina commisso non invenitur, eadem ratio, ut proxime probavi. Tandem, quia frequentia major delicti, & major inclinatio ad illud admittendum, sunt in causa, ut pro minori delicto gravior pœna imponatur, ut tradunt optime *glos. c. Admonere, v. Existimes*, 33. *qu.* 2. *D. Thom.* 4. *d.* 37. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 2: *& ibi D. Bonav. art.* 2. *q.* 2. *corp. Ricar. ibi, ar.* 2. *q.* 2. *ad ult. Turrec. v. Interfectores, art.* 2. *n.* 5. *in solut. ad* 1. 33. *q.* 2. *Everar. in suis Topicis, loco ab affectu, num.* 6. Cum igitur rapi virum a femina rarissimum sit, ac modica sit in femina promitas ad id perpetrandum, non est verisimile, ac rationi consonum, penam raptus perpetrari per virum, extendi ad raptum per feminam admissum. Et ita hujus tenent. sunt *Cimis l. un. n.* 4. *q.* 2. *C. de rapt. virg. & ibi Alberic. nu.* 11. *Salicet nu* 7. *Guillel. relatus a Bald. l. pen. nu.* 7. *C. de Episc. & cler. Grilland. de pœnis omnifariam coitus, q.* 10. *nu.* 23. *Bertach. in sua repertor. lit. N. v. Mulier, §. Mulier punitur, vers. Mulier rapiens, & lit. R. v. Raptor mulieris, vers. Raptus pœna, Montal. l.* 3. *fine, t.* 20. *p.* 7. *Judoc. in sua prædi. cap.* 95. *n.* 17. *Jul. Clarus lib.* 5. *receptæ, §. Raptus, nu.* 6. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *ca.* 291. *fine, Decian. tract. crim. l.* 8. *c.* 7. *nu.* 27. *Gothofred. auctor quidam moderatus, l. unic. v. Etiam feminæ, C. de rapt. virg. Veracruz append. ad Specul. ubi de rapt. fol.* 84. §. *Respondetur quoad raptus.* Quando femina feminam rapiat, consulendum est Doctores citati, & breviter existimo, non extendi eas pœnas ad hunc raptum. Quod hic quoque casus sit rarissimus. Quamvis videam multos tenere oppositum.

16 Ad argum. nu. 24. proposita resp. Ad 1. constat ex dictis num. præced. non subesse eamdem rationem in utroque casu. Ad 2. dic, non gratia frequentioris usus factam fuisse mentionem de feminarum raptu: sed quod alter casus sit rarissimus, & ita leges illum non spectent. Deinde esto id esset verum, non subest eadem ratio: ac proinde verba, gratia frequentioris usus ibi posita, non extendantur ad alium casum juxta num. præced. dicta. Ad 3. dic, subesse prorsus eamdem rationem affinitatis contracto cum altero conjuge in utroque casu, & utramque satis frequentem esse. Ad 4. dixi numer. præced. contrariam sententiam esse veriorem. Ad 5. dic, eum locum potius favere nostræ sententiæ, ut num. præced. probavi. Nam ibi imponitur pœna sive masculis sive feminis auxiliantibus viro, qui mulierem rapit. Nec inde infertur feminæ quoque raptrici imponi. Quia raptus subjacens pœnis & auxilium hoc verfantur circa eamdem actionem: sicut rebaptizatio sacerdotis & ministerium acolythi: ac proinde optime inferretur: auxilians viro ut feminam rapiat, incurrit pœnas: ergo & ipse vir rapiens: juxta *id cap.* 2. *de apostatis*. At auxilium obnoxium illis pœnis non est, si femina virum adjuvet, quo aliam feminam rapiat, ac proinde ex pœna adjuncta auxilianti circa diversam actionem, non infertur principalem exercentem actionem diversam, nempe, feminam viri rapticem subdi illis pœnis. Ad ultimum dic, id esse verum, quando subest eadem ratio, ut in exemplo ibi relato contingit. Ratio enim illius decisionis (ut ex præfatione illius textus constat) est ut professores cujusvis ordinis in sua vocatione perstitant, ac quietiorem, in ordine ad quem transeunt, vitam agant: quæ æque in monialibus habet locum, at in nostro casu non militat eadem ratio.

SUMMARIUM.

An rapta nubens raptori amittat lucrum quod sibi lege defertur? proponitur quædam sentent. num. 27.
Contraria auctoris, 28.
Solvuntur argumenta, 29.
Post num. 29. *invenies alia summaria.*

27 QUÆSTIO III. An rapta nubens raptori amittat ipsius raptoris bona, quæ ob raptus injuriam sibi lex civilis deferebat, jure canonico prædictam legem corrigente? Præmittendum est *leg. unic. Cod. de raptu virg. §. Et siquidem, vers. Sin autem*, bona raptoris, & auxiliantium, statim ad raptæ dominium transferri. At *auth. De raptis mulier. §. unic. vers. Sancimus, & leg. regia*, 3. *tit.* 20. *p.* 7. lanceri, ea bona a muliere deperdi, si raptori nubat. Quæritur ergo, an hoc habeat locum attento jure canonico, quod libertari matrim. valde favet, ab eo omnem pœnam excludens? Duplex est sent. 1. ait eam legem non esse jure canonico correctam: ac proinde id bonorum lucrum non deferri mulieri raptæ, si raptori nubat. Ducitur, quoniam cum bona illa raptoris sint lucrum quoddam per legem civilem delatum mulieri raptæ, eadem lex civilis deferens lucrum, appositæ conditionem, nisi rapta raptori nubat, ut constat ex *dict. auth. De raptis mulier.* quod si dicas eam non esse conditionem, sed pœnam: quod lucrum sit jam delatum per *dict. leg. unic.* Saltem negari nequit in regno Castellæ esse conditionem lucro acquiendo adjectam, attenta *l. reg.* 3. *t.* 20. *part.* 7. ibi: *E dem advende ser todos los bienes de la mugier, que a si vivesse robada; fueras ende, si dissues dello ella de sa gracia cassasse con el que la robo, o sorce, non aviendo otro matido.* Ergo nubens raptori amittit id lucrum, tamquam conditionem minime implens, *l. Cum ita legatum, in princ. ff. de condit. & demonstr.* Nec evaditur difficultas, si dicas eam conditionem nuptias impedientem rejici tamquam inhonestam, & libertati matrim. obstantem. Quod ea conditio non inducat vitiositatem, nec matrim. inemndi libertatem auferat: sed tantum impediat matrim cum raptore, tamquam indigno. At utroque jure admittitur conditio quæ impedit nuptias, non absolute, sed cum certa persona indigna, sub pœna amittionis lucri, quod comparandum erat, abstinendo nuptiis illis. Nil enim jam acquisitum auferitur, sed lucrum comparandum parendo conditioni, ut diximus lib. 1. disp. 24. n. 39. & seq. Secundo quia tantum abest ut jus canonicum legem civilem in hoc correxerit, ut potius eam approbarit, ut constat ex *cap. Cum secundum leges, & haret. in 6.* ibi: *Et mulier humanam legem transgrediens, raptorum nuptias eligens, bona omnia quæ per legem sibi obvenerant a raptore, amittat.* Et confirm. quia tupponit esse delictum, si rapta nubat raptori, ut constat ex comparatione quam ibi facit textus, inter contrahentes incestuosos, & nefarias nuptias, & mulierem contra legis humanæ præscriptum nubentem raptori. Et ideo hanc sent. tenent *glos. ea c. Cum secundum leges, v. Certoque casu. Jo. Andr. ibi ad fin. vers. In glosa, Cum parentes, & ibi Anchar. ad fin. vers. Quæres Gloss. Domin. ibi, in princip. nu.* 6. *fin. Anton. cap.* 1. *de Sponsal. num.* 12. *vers. Quandoque statutum, & ibi Felin. num.* 15. *fallentia* 2. *vers. Et quia collata, Franc. Aret. c. Ecclesia, de constit. num.* 2. *col.* 4. *vers. His tamen non obstantibus.* Et tamquam tutiorem sustinent *Ananias c. penult. num.* 5. *paulo post princ. de raptor. & Salicetus l. unic. n.* 12. *C. de raptu virg.* Eamdem tenent *Joan. Lupus c. Per vestras, notab.* 3. §. 3. *n.* 13. *de donat. inter vir. & uxor. Lucas de Penna lib.* 4. *in fine, C. de naviculariis, lib.* 11. *Franc. Curtius ad dict. ad Decium, c. Ecclesia, nu.* 120. *de constit. in nova edit. Brunel. de Sponsal. concl.* 10. *nu.* 7. *Bonifac. de Vitalinis, tract. de majestic. tit. de raptor. nu.* 2. *in fin. Jul. Clarus lib.* 5. *receptarum, §. Raptus num.* 8. *fin. Gothofred. l. unic. C. de raptu virg. verb. Raptam raptori.* Et in hanc magis inclinat, licet cogitandum relinquat, *Greg. Lop. lib.* 3. *verb. Cassasse, in fine, t.* 20. *p.* 7. & est valde probabilis.

II. Sent. (quam veriorem existimo) ait, correctam esse 28
legem civilem per jus canonicum, ac proinde id lucrum deferri mulieri raptæ nubenti raptori. Potissimum hujus sententi. fundamentum est, quia ob id lex civilis abstulit id lucrum raptæ nubenti raptori, quod, ea attenta, id matrim. stare non posset, atque adeo in matrim. injuste init pœnam, lucrum denegavit, Cum ergo jus canonicum legem civilem correxerit id matrim. impedientem ac dirimentem, (ut nu. 41. & seq. dicemus) corriget quoque pœnam illi injusto matrim. accessoriam. Et confirm. quia *l. unic. C. de raptu virg. §. Et si quidem, vers. Sin autem*, prius bona raptoris raptæ detulit: ac deinde interdixit matrim. Et postea *auth. De raptis mul. §. unic. vers. Sancimus*, statutum est, ut ea bona non acquireret rapta, nubens raptori: quasi injustum matrimon. eligens, in delicti pœnam: unde causa finalis illius amissionis est prohibitio matrim. Ea ergo per jus canonicum cessante, cessat quoque pœna amissionis lucri. Et interdictionem matrim. esse causam privationis lucri, clare colligitur ex *dicta auth. vers. Quia enim*, ubi rationem illius constitutionis dicitur esse, quod matrim. inter raptorem & raptam stare prohibitum sit. Intuper solet probari hæc sentent. eo quod lex civilis auferat matrim libertatem quod jus canonicum abhorret. Sed hæc ratio non placet. Quia clare probat contraria sentent. non impediri matr. libertatem. Hanc sent. sustinent *gl. c. De puellis, in fin.* 36. *q.* 2. *Frider. cons.* 36. *Host. sum. tit. De pœnis raptorum corporum, num.* 1. *fin vers. Sed nunquid, Goffred. sum. tit. De raptor. in.* 8. *Archid. c. Cum secundum leges, de haret. in* 6. *nu.* 1. *vers. Certo casu: & ibi Zenzelin.* & magis in hanc pendet, licet non omnino asserat *Franc. ibi, in princip. nu.* 2. *Abbas c. Ecclesia, nu.* 15. *de constit. & in repet. ejusdem cap. nu.* 19. *& c.* 1. *nu.* 8. *de Sponsal.* ubi *Alex de Nevo nu.* 24. *Felin. n.* 60. *Decius in novissi edit. nu.* 120. *idem Decius l. Nuptias, n.* 12. *fin. ff. de reg. juris, Idem Abbas c. penult. nu.* 4. *fin. de raptor.* (licet in hoc ultimo loco trepidet, ac cogitandum relinquat.) *Jo. Lupus c. Per vestras, de donat. inter vir. & uxor. notab.* 3. §. 20. *nu.* 8. *Alex. l. Sejus & Auger. nu.* 4. *ff. ad l. falcid. Crotus l. Omnes populi, nu.* 44. *vers.* 4. *faeit, ff. de just. & jure, Covar.* 4 *decr.* 2. *p. c.* 2. §. 9. *n.* 2. *Decian. tract. crimin. l.* 8. *c.* 13. *n.* 49. *Peguera dec. crimin. c.* 42. *nu.* 2. *Vela de pœn. delict. cap.* 29. Et ex Theologis, *Abul. c.* 5. *Matth. q.* 205. *col. ult. Enriq. lib.* 12. *de matr.* 14. *n.* 4. *in commen. lit. N. Lud. Lop.* 2. *p. instit. de matr. c.* 41. *paulo post princ.*

Manuel

Manuel t. 10. *sum.* 2. *edit. c.* 32. *fin. Vega* 2. *to. sum. c.* 34. *ca.* 157. *fin.*

29 Ad arg. n. 27. proposita resp. Ad primum dic eam non esse propriæ conditionem, sed pœnam iniqui matr. ut n. præced. explicui. Nec *lex illa* 3. *t.* 20. *p.* 7. aliquid novum statuit: sed idem quod *auth. de raptis mulier.* statutum erat. Nec alia replica facit contra nos: non enim tuemur eam conditionem rejici, quasi impedientem matr. libertatem, ut n. præc. dixi. Ad secundum dic cum *Decio d. c. Ecclesia, n.* 120. *alleg. n. præc.* non esse approbationem legis civilis, quod ponantur ea verba in facti narratione, atque ita non contineant jus: juxta *gl. c.* 2. *v. Non teneri, de dolo, & contum. in* 6. Ad confir. dic, supponi esse delictum stante valore legis humanæ. Atque ita ait: *Mulier legem humanam transgrediens.* Ea tamen jure canonico correcta, cessat delictum.

SUMMARIUM.

In quo consistat specialis malitia raptus in foro conscientiæ? num. 30.
An raptus sit species distincta, necessario fatenda, quando est violentia sine abductione de loco ad locum? 31.
Quid si precibus importunis femina cognoscatur? 32.
Quid, si dolo, vel ignorans? 33.
Quid, si femina sui juris invita abducatur, & post volens cognoscatur, aut e contra: & si confitenda utraque vis concurrens? 34.
Quid, si sub parentum aut tutorum potestate constituta, volens abducatur ipsis invitis: aut cognoscatur: vel invita, ipsis tamen consentientibus? 35.
Quid, si ipsis ignorantibus, 36.
An sit raptus feminæ cujuscunque status, etiam meretricis, 37.
Quid, quando non causa libidinis educitur, aut non venitur ad copulam, 38.
An sit raptus propriæ sponsæ, vemissve, 39.
An sit raptus in foro conscientiæ, si mulier virum rapiat, 40.
Post n. 40. *invenies omnia jumnaria quæ desiderantur.*

30 QUÆSTIO IV. Quid raptus sit, quod attinet ad forum conscientiæ, & ut constituat circumstantiam specificam injuriæ necessario exprimendam in confessione. Quæstio hæc pendet ex cognitione, in quo consistat specifica malitia raptus. Ea consistit, ut colligitur ex *D. Tho* 2. 2. *q.* 154. *ar.* 7. *ad* 2. *& Cajet. ibi in sol. ad* 2. *dub.* quod homo affectu luxuriæ impulsus, eo perveniat, ut quo libidinem expleat, vim inferat feminæ, aut iis sub quorum potestate ac cura est. Adde cum actus venereus in solo matr. legitime exerceatur, quod ut debito ordine servato ineatur, desiderat feminæ, & eorum sub quorum cura est, beneplacitum, *Lun. ad fi. C. de raptu virg.* inde esse specialiter a debito ordine deviare copulam raptu extortam, quod advertetur beneplacito feminæ, aut eorum quorum potestati subditur. Ex quo fit raptum duplicem malitiam specincam habere, alteram castitati adversam: in quantum coitum extra matr. claudit: alteram justitiæ oppositam, ratione violentiæ quam importat. Unde est duplex species, sicut adulterium, incestus, & sacrilegium duas species diversis virtutibus adversas continent. Quare (ut bene annotarunt *Cajet.* 2. 2. *q.* 154. *ar.* 1. *circa* 2. *arg. & Vasquez* 1. 2. *q.* 18. *ar.* 10. *disp.* 52. *n.* 10.) hæ species non sunt directe contentæ sub genere luxuriæ formaliter contra castitatem: sed in illis omnibus reperitur quædam luxuriæ species infima castitati opposita, illique aliæ species aliis virtutibus oppositæ conjunguntur. Sed objicies inde deduci, species has per accidens se habere ad luxuriæ speciem. Cujus contrarium docet *D. Tho* 2. 2. *q.* 154. *ar.* 1. *ad* 2. Sed dic sententiam D. Thom. non esse ita accipiendam, quasi ex duplici illa luxuriæ specie unica confletur: sed quia ita comparatur posterior illa injustitiæ species, priori luxuriæ speciei: ut quo magis posterior illa erescit, eo magis prior augeatur. Cum eo mali libidinis affectus hominem pertrahat, ut illo captus in injustitiam raptus adulteriive prorumpat, aut in sacrilegium, aut in incestum. Atque ita se explicuit *D. Tho. in ea solut. ad* 2. & illam explicant *Cajet. ea q.* 154. *art.* 7. *in sol. ad* 2. *dubium, & Vasquez d. art.* 7. *n.* 21. ubi bene advertit consulto non dixisse, *D. Tho. eo art.* 1. *ad* 2. posteriorem speciem non comparari per accidens cum priori: sed dixisse non omnino per accidens, ob rationem dictam. Quare *idem D. Tho. q.* 15. *de malo, art.* 3. *ad* 3. dicit, quod hæ deformitates injustitiæ ordinentur ad intemperantiam, totum id genus intemperantiæ pertinere.

31 Hinc 1. deducitur, quamvis ad pœnas raptoribus jure decretas incurrendas, desideretur violentia de loco ad locum abductio (ut n. 20. diximus) at ut in foro conscientiæ raptus sit, circumstantiamque raptus specie diversam a fornicatione, necessario confitendam habeat, id non desiderari: sed sufficere quomodocumque vim feminæ inferri ad copulam extorquendam. Ratio est in promptu, quippe ultra fornicationis malitiam adversam castitati, adest malitia violentiæ allatæ contra justitiam. Atque ita expresse videntur docere *D. Tho.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *& Turrec. cap. Raptus* 36. *q.* 1. *n.* 3. ubi post quam dixere raptum committi, sive femina reluctans abducatur, sive consentiens invitis parentibus, concludit ut, qualitercumque vis adhit, rationem raptus constare. Et tenent *Sylv. v. Luxuria, q.* 1. *vers. Raptus vero*, ubi *Armill. n.* 4. *& v. Rapina, qu.* 1. *Abulen. cap.* 5. *Matth. q.* 205. *paulo post princ. Sotus* 4. *d.* 18. *q.* 2.

Thom. Sanchez de Matrim. Tom. II.